Herrn Professor Dr. Dittenberger
zur freundlichen Erinnerung
der Verfasser.
Halle a/S. d. 15. October 1879.

DE
VI ATQUE USU ADIECTIVI PRAEDICATIVI APUD AEVI AUGUSTEI POETAS LATINOS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS A SE
PROPOSITIS
DIE XX. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXIX HORA XI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS PICK,
WARTHA-LANDSBERGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
IULIUS KLINGHARDT, DR. PHIL.
CAROLUS ROOS, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM,
TYPIS ORPHANOTROPHEI.
MDCCCLXXIX.

INDEX CAPITUM.

Caput I.

QUID GRAMMATICI DE ADIECTIVO PRAEDICATIVO EXISTIMAVERINT.

Quicunque operam et diligentiam in aureae quae dicitur aetatis poëtis Latinis collocaverunt, eos intellexisse necesse est, consuetudinem illam syntacticam ponendi adiectiva vice adverbiorum, quam neque ullius aevi, neque ullius sermonis scriptores Latini prorsus reformidaverunt, horum arte ad perfectionem quandam et maturitatem adductam esse. Cuius rei quasi testes locupletissimi excitari possunt nonnulli viri docti, qui in carminibus illorum poëtarum illustrandis hanc constructionem summatim tractaverunt. In horum numero sunt Bentleius, cuius adnotatio ad Hor. Epist. II, 1, 167 huc pertinet, Heindorfius, cf. adn. ad Hor. Serm. II, 6, 30, al., Dissenus, Huschkius, ad Tib. El. I, 7, 53, Holtzius ad Lucret. de nat rer. II, 359: syntaxis Lucr. lin. p. 151, Hertzbergius ad Prop. El. I, 12, 6; praeterea quaest. Propert. II c. 6 § 26 p. 142.

Unde vero haec scribendi licentia orta, quibus finibus terminata esset, cum neque carminum Latinorum interpretes, neque artium grammaticarum auctores satis subtiliter quaesiverint, si non componere litem, quae adhuc sub iudice est, at certe rem promovere institui materia existimatoribus parabili exponenda. Qua in re ita versabor, ut primum quid viri docti de adiectivi praedicativi vi ac natura inde ab artis grammaticae primordiis statuerint breviter exponam: deinde examinatis recentiorum rationibus uberius demonstrem, quam late pateat haec constructio apud poëtas Latinos usque ad aevi Augustei exitum.

Praemonendum videtur, me in exhibendis antiquorum grammaticorum testimoniis in usum meum convertisse libros qui feruntur Steinthali „Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Roemern“ et Schoemanni „Lehre von den Redetheilen nach den Alten“ (ubi v. p. 157 sq.).

Aristoteles, a quo principium capiendum est omnibus, qui ad antiquorum hominum doctrinam grammaticam accessuri sunt, cum adverbiorum natura bene perspecta — Top. VI, 10; Steinthal. l. l. p. 260 sq. — formas *ὠφελίμως*, *ποιητικῶς* in *πτώσεις ὀνομάτων* referret, non curasse videtur, quae ratio syntactica inter adverbia et adiectiva intercederet.

Atque primi Stoici philosophi teste Diogene Laërtio VII, 57 haud multum a quaestione de adiectivo praedicativo movenda afuisse censendi sunt, quippe qui nomine *ῥῆμα* id quod nos dicimus praedicatum — „Praedicatswort“ — significaverint: qua de re Priscianus nos certiores facit (Inst. gramm. II, 4, 16 p. 54 Hertz.): „adverbia nominibus vel verbis connumerabant et quasi adiectiva verborum nominabant.“ Quamquam Schoemannus cum adverbium *πάλαι* in verborum comprehensione exempli gratia excogitata „*ταῦτα πάλαι ἐγένετο*“ ex Stoicorum sententia ad praedicatum referendum esse doceat, idem adversatur quominus adiectivum *παλαιά* in sententia illius simili *ταῦτα παλαιά ἐστιν* pace Stoicorum praedicato attribuatur. Neque enim in ea definitione adiectivis praedicatum ornantibus ullum locum concessum fuisse ideo existimat, quod haec vis illis non propria, sed interdum ex arbitrio scriptorum addita sit. In medio igitur relinquendum videtur, num Stoicis in scrutanda potestate vocabulorum haec figura unquam turbas fecerit.

Iam quaerendum est de illa orationis parte, cui nomen *ἐπίῤῥημα* inscriptum fuit. Cuius classis fines adeo non certi erant, ut Etymologici Magni auctor p. 78, 52 sibi ipsi quaerenti: *ἐκ ποίων μερῶν τοῦ λόγου γίνεται τὰ ἐπιῤῥήματα;* responsum ferret: *ἐκ πάντων.* Unde non est mirum quod nata est levissima appellatio *πανδέκτης*, quae quid sibi velit

Charisii verbis docetur [II, 194 Keil.]: „omnia in se capit quasi collata per saturam, concessa sibi rerum varia potestate.“ Tamen his finibus non circumscriptum esse adiectivum praedicativum ex Dionysii Thracis verbis perspicitur, qui *ἐπίῤῥημα* esse voluit *μέρος λόγου ἄκλιτον κατὰ ῥήματος λεγόμενον κτλ.* [Steinthal. p. 570].

Laus adiectivi praedicativi primum notati Aristonico illi Aristarcheo tribuenda est, qui eius notitiam profitetur in his enuntiatis Homericis expediendis [quamquam haec exempla nihil faciunt ad rem demonstrandam]:

Δ, 186: *βάσκ', ἴθι, Ἶρι ταχεῖα,* — ad quae verba notis Aristarcheis signata ille adnotavit: *ὅτι οὐ κατ' ἐπίθετον τὸ ταχεῖα, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ταχέως, οἷον καὶ „τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.“* (*Δ* 182). Idem ad *Ψ* 287: *„ταχέες δ' ἱππῆς ἄγερθεν“* docet, *ὅτι ἀντὶ μεσότητος τοῦ ταχέως, οὐ κατὰ τῶν ἱππέων.*

In historia huius doctrinae porro tractanda confitendum est, ea, quae saeculis inter grammaticos Alexandrinos et tempora nostra interiectis de adiectivo praedicativo disputata sunt, merito tenebris obruta iacere. Etenim cum Romanorum grammatici clarissimi in hac syntaxis parte ab antiquis per se haud ita multum exculta ne hilum quidem recederent a Graecorum ratione, medii aevi studia partim doctrinae antiquae miseris frustulis aegre sustentata, partim ad impolitam librorum sacrorum latinitatem tamquam *θεόπνευστον* exacta, partim in scholiasticorum distinctionibus minime laetis abdita vix pertinuisse videntur ad adiectivum praedicativum.

Velut Petrus Elias, qui vixit duodecimo saeculo p. Chr., cum occasio aptissima dicendi de hac consuetudine poëtica oblata esset dissertatione proposita de „modis significandis“ in hac sententia acquiescit (cf. Thurot, extraits de divers manuscripts Latins pour servir à l'histoire des doctrines grammaires au moyen-âge, 2ième partie de tome XXII des notices et extraits de la bibliothèque impériale, Paris 1869 — p. 154):

„Est alius modus significandi vel consignificandi determinare qualitatem actionis vel passionis que per verbum significatur, propter quem repertum est adverbium.“ —

Neque accuratius de praedicati accessionibus quaesivisse videntur qui saeculis insequentibus grammaticam professi sunt. Ex his Michaël de Marbais, qui saeculo XIII p. Chr. in Francogallia doctrinae grammaticae laude floruit, item hanc subtilem quaestionem, quam auspicatus est, omisisse videtur, cum haec scriberet (Thurot l. l. p. 226, Chap. IV § VI, des principes de construction):

„Tempus non est principium constructionis verbi cum nomine vel pronomine nec a parte ante, nec a parte post, cum nullum requirat modum significandi similem vel proportionalem ei. . . Utrum autem ipsum sit principium construendi verbum cum adverbio, de hoc est dissensio inter nostros doctores. Sed quid de his sit sentiendum visum est alibi.“

Quid quod Rudimannus in institutionibus illis grammaticis, quibus homines proximi saeculi summa cum verecundia auscultabant (p. 372 — 73 a MDCCXXIX), satis habet huic figurae nomen antimeriae tribuisse? Antimeriam autem esse dicit alterius partis orationis pro altera positionem.

Nostra autem aetate viri docti quaerere coeperunt, num per ingenium linguae Latinae adiectivum vice adverbii poni possit.

Ac nescio an Godofredus Hermannus pro auctore habendus sit mirae illius doctrinae, qua item Reisigium, Thierschium, alios imbutos fuisse Haasius docet (Vorlesungen über latein. Sprachwiss. § 8). Qui Kantianae philosophiae principiis ad artem grammaticam translatis contenderunt, ita positionis et negationis categorias in adiectivum et in adverbium cadere, ut, sermonis abundantia recisa, altero utro carere possimus. Iam vero Hermannus in libro de emendanda ratione Graecae grammaticae — p. 128 — non nisi vitio linguae Graecae Latinaeque fieri dicit, ut nomen adiectivum vel cum verbo substantivo coniunctum particulae loco legatur: „id quod,“ inquit, „clarissime e Germanica

lingua cognoscitur, cuius in hac quidem re admirabilis veritas est atque simplicitas. Nos enim non nomen adiectivum iungimus substantivo, sed adverbium, ut in his: das pferd ist gut, besser, am besten, plane ut rei natura postulat, simplicis conditionis nota cum subiecto copulata."

Quae explicatio licet iam dudum explosa sit a posteris, eodem loco habenda est atque multa ingeniosorum hominum errata: quibus litterae maiora debent incrementa quam aliorum inventis. Atque illa Hermanni sententia gratam praebuit occasionem amplius quaerendi de adverbii ratione syntactica.

Caput II.

QUAE RATIO INTER ADIECTIVUM PRAEDICATIVUM ET ADVERBIUM INTERCEDAT.

Ad hanc quaestionem spectant ea quae Charisius de notione adverbii Latini — non ex suo ingenio ille quidem, sed ex memoria grammaticorum antiquiorum — praecipit — Institut. Gramm. lib. II, 13 (p. 180 Keil.): „Adverbium est pars orationis quae adiecta verbo significationem eius inplet atque explanat." — Finibus huius definitionis paullo amplificatis Fr. Luebkerus docet (Grammatische Studien I: Studien zur Syntax des Adiectivums und Adverbiums in den alten Sprachen, Parchim und Ludwigslust 1837 p. 63, 2): adverbium a Latinis eo consilio usurpatum esse, ut ea ipsa orationis pars, qua qualis sit alterius partis natura indicetur, accuratius describatur. Quam legem ille lingua vernacula sic elocutus est: „das Adverbium bezeichnet eine Accidenz, die erst wieder an anderen Accidenzen vorhanden ist."

Hanc adverbii vim non primariam illam quidem, sed usu atque ratione corroboratam plane diversam esse ab adiectivi significatione, per se patet: huius ope enim non

quo modo se habeant aut verba quaedam aut substantivi cuiusdam attributa, sed qualis sit natura substantivo nomini insita certiores fieri solemus.[1]

Permutatis igitur illis orationis partibus exsistit quaedam verborum ambiguitas — id quod recte Haasius observavit l. l. p. 129 — quam ut effugerent Caesar, Cicero, optimi prosae orationis scriptores, adiectivum adverbii vicarium esse perraro voluerunt.

Cum poëtae vero — atque etiam historici Latini, de quibus in proprio excursu alio tempore dicam — adiectivo praedicativo faverint, facere non possumus quin quaeramus, quo consilio ducti aut quibus exemplis permoti illi huc devenerint. — Atque causas duas, quibus commoti Latini olim adiectivum adverbio praetulerint, Rothius praebet in excursu XXIII ad Tac. Agr.: primum quod adiectivorum quorundam forma adverbialis aut omnino non aut raro in usu fuerit — velut adverbia a scriptoribus Latinis repudiata adiectivorum totus, tacitus, occultus, diversus, incautus —, deinde quia adverbiorum quorundam sonus aures offenderit. Quorum argumentorum illud cum non possit nisi pervestigatis omnibus scriptoribus latinis ad liquidum perduci, contentiore studio persequi nolo in quaestione sermoni poëtico solum destinata: quamquam concedo, etiam in meam provinciam inde aliquid lucri redundare posse. Qua ratione, ne ea res plane a me omittatur, adiectivum iners in his versibus Propertii, Gratii expeditur:

Prop. El. III, 32, 20: tendis iners docto retia nota mihi.

---

1) De adverbiorum etymologia qui certiores fieri cupiant, materiam diligenter collatam invenient in Leopoldi Schroederi libello: „Ueber die formelle Unterscheidung der Redetheile im Griechischen und Lateinischen.“ Von der histor.-philolog. Facultät der Kaiserl. Universität zu Dorpat gekrönte Preisschrift. Leipzig 1874 [ubi v. p. 473].

Singulas quaestiones de adverbiorum origine habuit Corssenus locis quibusdam operis docte confecti: „Ueber Aussprache, Vocalismus und Betonung der Lateinischen Sprache.“ 2 voll. 2 Aufl. Leipzig 1868 und 1870 [ubi v. indicem].

Grat. Cyn. 113: Ne cessaret iners in vulnere massa ferino.

Cui adiectivo auctoritas succurrit Charisii (inst. Gr. p. 185 Keil.): „neque omnia tamen quae rs litteris terminantur in adverbia transeunt, sicut concors, — iners quoque habet dubitationem an omnino in adverbium transire possit.“[1] (cf. Hor. c. III, 5, 36).

Altero Rothii argumento quomodo utendum sit cum frustra quaesiverim, nescio an vir de litteris Latinis optime meritus aurium iudicio nimium tribuerit.

Item non sufficit ad hanc litem dirimendam quod Zumptius suspicatus est gramm. lat. § 682. cum doceret, poëtas huic usui favisse aut quod adiectivis maiorem describendi vim inesse putarent, aut quia libenter a trito sermone recederent: quamquam utrique argumento veri aliquid inesse concedo.

Iam ut omittam Kuehneri sententiam — gramm. lat. vol. II. — qui censet, sermonem Latinum et Graecum in condicione rei quae agatur ad agens nomen referenda imagines praebere multo vividiores et expressiores quam nostra lingua — Bernhardyus aliqua ex parte verum vidisse videtur (Wissenschaftl. Syntax der griech. Sprache p. 334—35), cum hac ratione animis eorum qui legerent aspectum rei agendae — singulis temporis momentis propositis — obiici diceret.

At enim Luebkerus (l. l. p. 37 sq.) recte sensit, saepe summo iure actionis cuiusdam qualitatem referri tamquam ad causam efficientem ad animum illius, qui in ea re exantlanda versetur.

Artificio autem quodam poëtico, non ratione effectum esse Naegelsbachius monet (Lat. Stilistik p. 223) ut non solum ad sententiae subiectum, verum etiam interdum ad obiectum a poëtis adiectivum praedicativum adderetur. Quod

1) Etiam adiectiva amens, demens huc pertinent, quorum in adverbiis evitandis omnes poëtae sibi constitisse videntur. cf. Verg. Aen. II, 94; II, 314, 321; IV, 279; Tib. El. I, 6, 46; I, 9, 78; Ov. Am. II, 4, 4.

quidem cum ex metrica ratione, tum e mero arbitrio pendere apparet: sed quam late pateat hoc variandi studium, commodissime intellegere licet inspicientibus dissertationem J. A. Voigtii, de adiectivis Horatianis, Hal. a. 1840. Ceterum de hac quam vocant casuum hypallage disseruerunt Hertzbergius — quaest. Prop. II, 6 p. 143 § 24 —, Haasius — adn. ad Reisig. Scholas. p. 634 —, Ungerus — de C. Valgii Rufi poëmatis commentatio, Halis 1845 p. 54 sq., 237 sq., 460.

Restat ut dicam e quibus fontibus adiectivi praedicativi usum ad classicos quos dicimus poëtas Latinos manavisse existimaverint viri docti.

Exstiterunt sane olim qui, laudabili diligentia adhibita, in historiam adiectivi praedicativi inquirerent. A quibus profecta est opinio illa de huius constructionis origine Graeca, quae videlicet commoditatis speciem prae se ferens vel in nostram aetatem permanavit.

Imprimis ut Graeco ex fonte universum hunc morem ductum esse demonstraret, laborabat et sudabat Vechnerus Aurimontanus in libro summa cum doctrina confecto qui inscribitur Hellenolexia. Qui spectans ad versus illos Homericos:

χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, —
παννύχιοι μὲν ἔπειτα καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
δαίνυντο, —

ad Theocritianum: *ἀλέκτωρ ὄρθριος κοκκύσδων* aliosque versus poëtarum Graecorum linguae Latinae usum ab eiusmodi exemplaribus pendere putabat. In Vechneri sententiam a multis sine ulla dubitatione repetitam — ut aliorum nomina omittantur — editores Horatii Mitscherlichius, Orellius, Schmidius discesserunt. Quae doctrina cum posita sit in diligenti versuum quorundam observatione, qui nitent floribus ex Graecia Romam translatis, tamen in universum removenda est. Nam antiquiore latini sermonis usu pervestigato rectius iam de multis graecismis qui olim dicebantur iudicatum est. Ac summo iure Draegerus in syntaxi historica (I p. 325) exempla quaedam adiectivi prae-

dicativi ex fabulis Plautinis repetita quasi specimina rudia imitationis elegantioris enumerat.[1]

Quae cum ita sint, operam a me susceptam haud inutilem fore spero, si rem eo deducere mihi contigerit, ut poëtarum aetatis Augusteae consuetudinem et per se explicarem, et quae ex antiquiore poësi Latina illis proposita fuisse videntur adiectivi praedicativi vestigia proferrem.

Imprimis autem in hac figura poëtica ad certas leges revocanda ii mihi videntur erravisse, qui solum ad adiectivorum genera quaedam huic consuetudini faventia spectabant, velut Bernhardyus ab adiectivis ad quantitatem pertinentibus ut a vetustissimis praedicati adiectionibus proficiscitur, Naegelsbachius primo loco ea habenda esse dicit, quibus animi motus significentur, Handius (Lehrbuch d. lat. Stils p. 379) adiectiva temporali natura praedita omnibus ceteris praeferenda esse affirmat.

Ab hisce explicandi modis recedenti mihi quaestio bipartita eaque ita instituenda videtur, ut exordium disputationis capiam a generibus verborum, quibus adiectiva vice adverbiorum apposita sunt: tum vero adiectiva, quorum formam adverbialem poëtae illi reformidare solebant, examinem.

Sed antequam ad rem tractandam aggrediar, confitendum est, consulto a me rationem non habitam esse prolepticae quam vocant constructionis adiectivorum, ad quam — ut ait Kuehnerus in arte gr. vol. II p. 179 § 64 c — sermonis poëtici scriptores eum ad finem confugerunt, ut qualitatis alicuius notio, aut verbo aut alia parte sententiae efficienda tamquam perfecta repraesentaretur. De qua constructione praeter Bernhardyum, Kuehnerum, alios disseruit Wellauerus — Neue Jahrbücher f. Philologie und Paedagogik I Suppl. Heft 1, Lipsiae 1831, „addita-

---

1) Cf. Vigeri Rotomagensis de praecipuis Graecae dictionis idiotismis librum ed. Godofr. Hermannus, praef. p. XXIV: „Linguae omni — suus quidam est, ac singularis genius et certis quasi formulis illigatus.“

menta ad Vechneri Hellenolexiam."[1] Solum in transcursu moneo, etiam hanc construendi rationem apud Latinos antiquissimam esse. Cf. Plaut. Trin. I, 2, 19; Aulul. I, 1, 36, al.

Caput III.

DE VERBORUM GENERIBUS, QUIBUSCUM ADIECTIVA PRAEDICATIVA CONIUNGEBANTUR.

1. DE VERBI SUBSTANTIVI VICARIIS.

A verbo substantivo adiectivum praedicativum requiri in additamento aliquo qualitativo, nomini tribuendo vetus est grammaticorum lex.

Ad quam legem non est mirum quod accommodata sunt ea verba, quae, primaria significatione attenuata, paene in verbi substantivi notionem cesserunt. Quam et notionis et constructionis mutationem deprehendisse mihi videor in vivendi verbis: vivere, vigere, spirare, annos exigere, simil. Quod iam pridem cum ab aliis, tum a Doederlinio perspectum est, qui in adn. ad Horat. Serm. II, 2, 135 verbum vivere esse dicit „ein kräftiger lautendes Synonymum von esse." — Huc accedunt ea verba, quae simplici vivendi notioni leves quasdam condiciones, ut ita dicam accidentia adiungunt: quae cum in partes diversissimas spectent, tamen in eo consentiunt quod illius verbi rationem sequuntur. Quo loco verba exstare, manere, durare, iacere, al. habenda esse existimo.

Atque haec dicendi consuetudo, quae ad vitae rationes pertinet, cum sit per se probabile, eam ex vitae quotidianae sermone in poëticum sermonem irrepsisse, tum hisce versibus comicorum in sermonem vulgarem vindicatur:

---

1) Ad sermonem epicum Graecum spectans Nitzschius de interpretatione in prolepticam partem admittenda quaedam congessit in adn. ad Hom. ι', 234: item Schaeferus ad Gregor. Corinth. p. 533, 1047 „adiectivorum usum peculiarem — prolepticum dicas" — apud poëtas Graecos perstrinxit: cui de Homero fidem non habet Bernhardyus.

Plaut. Amphitr. IV, 2, 3 vivas aetatem miser.
— Bacchid. IV, 3, 3: Incredibilis imposque animi, inamabilis, inlepidus vivo.
— Mil. IV, 8, 10 hodie stulta viveret.
cf. Plaut. Aulul. III, 2, 5; Capt. IV, 2, 48; Cas. II, 6, 51; 8, 53; Menachm. V, 5, 10; Merc. III, 4, 20; V, 2, 56; Rud. II, 1, 1; Trinumm. II, 2, 109.

Vix huic loco conveniunt versus illi, in quibus adiectivum vivus cum vigendi aut vivendi verbo coniunctum legitur, velut Naevii qui fertur versus — Incert. fab. III — 109 — Rib.:

Cuius facta viva nunc vigent, qui apud gentes solus praestat.

Nam adiectivum vivus aut quasi proleptice appositum videtur verbo, aut, quo vigendi vis maior fiat, explicandum est ex geminandi studio in vulgari sermone usitato. De qua geminatione conferenda sunt ea quae Lorenzius exposuit proleg. ad Plaut. Pseudol. p. 40 sq. [1] — Eandem sermonis vulgaris ubertatem observare licet in his versibus Plautinis:

Pseudol. I, 3, 103: dum ego vivos vivam.
— I, 5, 93: Tu vivos vives: tu mi hercle argentum dabis.

In posteriore versu adiectivum vivos a Ritschelio, Brixio praeeunte, additum, ab Lorenzio comprobatum est, ut versus numeri complerentur: quae emendatio ne ab auctoribus ipsis quidem pro certa habita est, cum versus explendi causa etiam vocem ipsus post „hercle“ inseri posse dicerent.

Non semper a Plauto adverbium reiectum esse in vivendi verbo illustrando O. Seyffertus demonstravit, stud. Plaut. Progr. des Soph.-Gymnas. zu Berlin 1874, cum versum Aulul. IV, 1, 1 emendaret.

---

1) Figurae huius quam dicunt etymologicae exempla quaedam ex inferioris aetatis scriptoribus Graecis delibata Bernhardyus congessit Paralipom. synt. Graec. p. 32.

Ceterum de vivendi verbo apud Plautum dixerunt Pareus ad Rud. II, 1, 1 et Brixius ad Trin. II, 109.

Illa exempla autem Terentius secutus est:

Andr. IV, 5, 3: pauper viveret.

Eunuch. V, 8, 1: vivit fortunatior.

Heautontim. II, 4, 11: desertae vivimus.

Hecyra V, 4, 21: vivat blandior.

cf. L. Afran., Privign. VIII (252 Rib.): Vixisti tristis, durus, difficilis, tenax.

— VI (250 Rib.): Nemo illa vivit carie curiosior.[1]

Apud Lucret. quaedam alia verba singulari paene ratione verbo substantivo substituta sunt, velut constare, patere, durare, iacēre, a quibus verbum illud repraesentatur, singulari quadam diuturnitatis significatione auctum.

Constare, patere:

I, 956 sq.: pervideamus, utrum finitum funditus omne constet, an immensum pateat vasteque profundum.

II, 424: at contra quaecunque molesta atque aspera constat (scil. figura).

— 469: cum squalida constent.

— 694, 724: paria omnibus omnia constent.

IV, 148 sq. (150 Lachm.): splendida quae constant.

Durare:

V, 59 sq.: animi natura — nativo primum consistere corpore creta | nec posse incolumis magnum durare per aevum.

Forma incolumen, quam Lachmanno teste codex oblongus et antiquiores quidam libri impressi exhibent, et quam Hieronymus Avantius in incolomem mutavit, sine dubio a Marullo „incolumis" scribente recte emendata est.

---

1) Cicero sine dubio sermonem vulgarem imitatus est ad Att. lib. 3 ep. 5: ego vivo miserrimus et maximo dolore conficior.

Exstare, iacēre:

IV, 889 sq. (892 sq. Lachm., M.): et aër | scilicet ut debet qui semper mobilis exstat.

V, 1004 (1006 Lachm., M.): improba naucleri ratio cum caeca iacebat.

Hoc versu, quem Lachmannus Sverdsioeum secutus ut spurium delevit, uti non dubito, cum adhibita Munronis emendatione („naucleri“ pro „navigi“) illa verba vacua mihi ab omni suspicione videantur.

Ex carmine Lucretiano tamquam ex communi fonte poëtae aevi Augustei usum verbi substantivi tali ratione personati repetiverunt. Itaque apud Vergilium, quem constat saepius verba Lucretiana imitatum esse, et apud Ovidium hi versus exstant:

Verg. Gorg. II, 37: Neu segnes iaceant terrae.

Ovid. Heroid. XIX (XX), 109 sq.: Hoc est, mihi crede, quod aegra | ipso nubendi tempore saepe iaces. cf. Trist. V, 2, 7.

Met. III, 78: interdum longa trabe rectior exstat.

Duo codices exhibent exit: quod Heinsius probat. Utrumque cum dici potuerit, probabilius videtur verbum exstat, quod iterum legitur apud Ovidium:

Ex Ponto II, 10, 46: qui semper liquidis altior exstat aquis.

Quam facile iacendi verbum cum adiectivo aliquo coalescat, apparet ex participiis huic verbo saepe additis, e quibus quamquam sunt aliena ab hoc loco tamen ad usum verbi illustrandum pauca exempla adscribam.

Ov. Met. I, 149: victa iacet pietas.

— VIII, 114: superata iacet (sc. patria).

VII, 527: exitium superabat opem, quae victa iacebat.

Heinsius, qui metuit, ne hoc posterius hemistichium sit ab aliena manu, non perspexit quid sibi vellet haec imago: ab exitio enim personato Ovidius dixit vexari, pedibus calcari ipsos medicos, qui cum aliis antea opem ferre non possent, victi appellati sunt.

Redeo ad vivendi verba cum adiectivis coniuncta, quae a sermone vulgari profecta saepe leguntur in posteriorum poëtarum carminibus, ut apud Catullum:

VIII, 10: nec miser vive.

X, 33: sed tu salsa male ac molesta vivis.

„salsa" scripsi ex Schraderi coniectura, cum libri nihil certi exhiberent (O. tulsa, G. tu insula teste Baehrensio): quamquam quod Itali coniecerunt „insulsa" item non alienum videtur ab hoc loco. Invita Minerva autem a Baehrensio adiectivum mulsus in hunc versum illatum est:

sed tu, mulsa, mala et molesta vivis.

Supervacaneam denique esse Guarini mutationem mala pro male, quam Baehrensius amplexus est, ea docent quae Orellius ad Hor. c. I, 17, 25 adnotavit (cf. Schraderi emend. Catull. p. 15).

C. VII, 7:

Quis me uno vivit felicior?

Huc item pertinet fragmentum quoddam Ciceronianum:

Arat. fr. XVI (Orelli ed. 2. — Lactant. Inst. I. V. c. 5 § 5): Malebant tenui contenti vivere cultu.

Horatius, quem iam Bentleius observavit amatorem esse adiectivorum pro adverbiis positorum (cf. adn. ad Epist. II, 1, 167), cum aliis verbis huic loco convenientibus tum his usus est.

vigere:

c. III, 9, 4: Persarum vigui rege beatior.

ib. v. 8: Romana vigui clarior Ilia.

regnare:

c. III, 38 sq.: qualibet exsules in parte regnanto beati. — Epist. I, 2, 10: ut salvos regnet vivatque beatus.

Eadem ratio valet in verbo exulare pro exulem esse a Lucilio usurpato:

Lucil. Sat. II, 2 (7)[b]: Müll. II, 44 Lachm. vincat licet et vagus exulet exlex.

vivere:

Hor. c. II, 3, 5: seu maestus omni tempore vixeris. — c. III, 26, 1: Vixi puellis nuper idoneus.

Hor. c. III, 27, 14: et memor nostri, Galatea, vivas.
— Serm. II, 2, 135: Quocirca vivite fortes.
— Epist. I, 3, 29: Si patriae volumus, si nobis vivere cari.

Eadem huius verbi significatio invenitur c. II, 3, 5; Serm. I, 1, 3; 3, 142; 4, 98; 6, 68 sq., II, 2, 135; 6, 96; 7, 8 sq., Epist. I, 2, 10; 3, 29. II, 2, 157.

— Serm. I, 4, 108 sq.: Viverem uti contentus eo quod mi ipse parasset:
Nonne vides, Albi ut male vivat filius atque
Baius inops?[1] magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit . . .

Iam ex Vergilio, Tibullo, Propertio, Ovidio quaedam profero exempla ad hanc consuetudinem confirmandam:

Verg. Aen. III, 493: Vivite felices.
Tib. El. II, 6, 53: satis anxia vivas.
Pseudotib. III (Lygdam.) 5, 31: vivite felices memores et vivite nostri.
Prop. El. I, 16, 12: turpior et saecli vivere luxuria.
— II, 9, 3: Penelope poterat bis denos salva per annos vivere.
— III (II), 32, 62: semper vive meo libera iudicio.
— V (IV), 11, 46: Viximus insignes inter utramque facem.

Semel apud Propertium locum verbi vivere verbum spirare tenet:

III (II), 24, 5: Quodsi tam facilis spiraret Cynthia nobis.

Ex Ovidio haec exempla mihi praesto sunt:

Am. III, 9, 37 sq.: Vive pius, moriere pius cole sacra, colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.

(Sed cf. Tib. El. I, 3, 25: „pie dum sacra colis,“ — quibus verbis adducor ut credam, Ovidium supra verba

1) Minime haerendum esse in adiectivo inops cum adverbio male consociato ad unius verbi explanationem, Kritzius demonstravit ad Sall. Jug. XXXI, 2 cf. Lorenz. ad Plaut. Pseud. 570, Brix. ad Plaut. Trin. 268.

„sacra colere“ ad similitudinem cum verbis antecedentibus instituendam cum adiectivo coniunxisse).

Met. X, 567 sq.: per opacas innuba silvas | vivit.

Trist. III, 4, 43 sq.: Vive sine invidia, mollesque inglorius annos | exige.

Quos modo enumeravi versus animo repetenti non dubia apparebunt incrementa, quae ars poëtarum in hoc verborum genere excolendo paulatim fecerit. Unum restat de quo accuratius quaerendum videtur: quomodo factum sit, ut Lucretius contracta illa quam Holtzius dixit enuntiatione uteretur, cuius vestigia apud antiquiores poëtas non exstant, post eum multi presserunt.

Ac nescio an apud Lucretium aliquid valuerit Ennius, cuius libros ab eo diligenter lectos esse constat (cf. quae Vahlenus, Ilbergius docuerunt de verbis clara clueret[1] ab Lucretio ex Ennio repetitis — Vahlen, quaest. Enn. p. XXI; Ilberg., Qu. Enni annal. libri primi frgm. Diss. Bonn 1852, adn. ad fr. 3).

Semel Lucretium in hoc dicendi genere si non imitatum esse at certe adaequasse Graecum sermonem Munro demonstravit in his versibus explanandis:

Lucr. V, 101 sq.: nec tamen hanc possis oculorum subdere visu
nec iacere indu manus, via qua munita fidei
proxima fert humanum in pectus templaque mentis.

Hi versus manaverunt ex Empedoclis versibus (356 sq. Stein.):

Οὐκ ἔστιν πελάσασθ' οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν

---

1) Suspicor, item Propertium memorem fuisse huius constructionis Ennianae, cum scriberet El. I, 12, 6: Cynthia nec nostra dulcis in aure sonat.

Contra Lachmannum, qui cum non intellegeret, ut ipse confitetur, quid esset dulcis — sonat, dulcis — sonus coniecit, Hertzbergius librorum scripturam defendit multis exemplis allatis, quibus illustraret suam ipsius interpretationem: „ut dulcis praedicato eodem modo additum sit, quo saepissime veteres ita adiectivis usos esse videmus, ut nostrae linguae ingenium secutus adverbium malis.“

Ἡμετέροις ἢ χερσὶ λαβεῖν ἥπερ γε μεγίστη
Πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἁμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.

2. DE VERBIS AFFECTUUM.

Altero verborum genere, quod a poëtis aevi Augustei adiectivo praedicativo ornabatur, ea verba comprehenduntur, quibus animi motus sive in laetam sive in tristem partem exprimuntur: quibuscum in eodem numero habenda videntur verba laudandi, vituperandi, hilarandi, similia: his enim illae animi commotiones in lucem proferuntur.

Quae verba ut ex reliquorum multitudine eximerem adductum me esse confiteor verbis O. Seyfferti, qui in commentatione supra memorata, cum varias quaestiones Plautinas tractaret, multis exemplis propositis docuit (p. 8): „cum affectuum verbis similibusque Plautum semper adiectivum miser, adverbium misere nunquam coniunxisse."

Ad hanc observationem in artem et praeceptum quoddam revocandam ex multis exemplis, quibus Seyffertus usus est, pauca elegi:

Mil. gl. 8: „Quae (machaera) misera gestit stragem facere ex hostibus."
Truc. I, 2, 93: „horresco misera."
Pseud. 784: „metuo miser."
Stich. 349: „miserae algebunt."
Epid. III, 1, 1: Exspectando exedor miser atque exenteror.

Augustei aevi poëtae autem hac in re non modo antiquitatis memoriam diligenter amplexi sunt, sed multo latius patet apud eos illa licentia, quam adhuc in uno adiectivo „miser" respeximus, cum translata sit ad magnam adiectivorum copiam, quibus ad verba amoris, odii, gaudii, doloris, laudis, vituperationis novum aliquod momentum addi solet. Deinde quae ornamenta apta videbantur ad animi affectum significandum, haec item pertinere facile intellegimus ad ea verba, quibus actiones quaedam illis affectibus

directae significantur: e quibus cum alia tum verba abstrahere, invadere, urere, pretium rependere commemoranda sunt. — Utque accuratius haec lex in sermone poëtico aevi Augustei definiri possit, variorum poëtarum versus quosdam enumero:

Vergil. Aen. II, 655: Rursus in arma feror mortemque miserrimus opto.

— I, 514 sq.: avidi coniungere dextras | ardebant.

— XII, 3: ultro implacabilis ardet.

Horat. Epod. XIV, 13: ureris ipse miser.

Serm. I, 3, 135 sq.: urgueris turba circum te stante miserque | rumperis.

carm. I, 15, 23 sq.: urguent impavidi te Salaminius | Teucer, te Sthenelus.

I, 12, 37 sq.: Regulum et Scauros — gratus insigni referam Camena.

I, 28, 23 sq.: ne parce malignus arenae ossibus ... particulam dare.

I, 38, 6: sedulus curo.

II, 10, 2 sq.: neque dum procellas | cautus horrescis.

III, 5, 17 sq.: si non periret immiserabilis | captiva pubes.

periret scripsi contra Lachmannum et Hauptium, qui formam perires praetulerunt: saepius enim ab Horatio in verborum terminationibus et, at, it genuina productio, quae apud homines aevi Augustei paene omnino in oblivionem cesserat, restituitur. Cf. Brix. prf. ad Plaut. Trin. p. 18 qui illos locos Horatianos collegit.

III, 11, 46: quod viro clemens misero peperci.

III, 21, 9 sq.: non ille — te negleget horridus.

III, 23, 18 sq.: non sumptuosa blandior hostia | mollivit aversos penates.

III, 24, 32: sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Distinctionem, quam Holderus ante adi. invidi posuit, sustuli.

III, 29, 26: urbi sollicitus times.

IV, 8, 23 sq.: si taciturnitas obstaret meritis invida Romuli? Cf. Epod. XI, 19; XVI, 13 sq.; XVII, 2; XVII, 56. Serm. I, 9, 65:

male salsus | ridens dissimulare.

Similis constructio legitur apud Tibullum El. I, 2, 89: At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto.

Hor. Serm. I, 3, 85 sq.: acerbus | odisti et fugis.

Scholium Pseudoacronis, quod Reisigius secutus est, acerbum praefert: quae mutatio nullius pretii est.

II, 3, 7: immeritusque laborat iratis natus paries dis atque poëtis.

II, 7, 26: aut quia non firmus rectum defendis.

II, 6, 29: Quid vis, insane, et quas res agis? improbus urget | iratis precibus.

Gesnero, Hindorfio, Doederlinio, qui vocem improbus ad antecedens verbum repetendam esse contenderunt, opposita est ea distinctio, quam ipse ad exemplar editionum Hauptii, Holderi expressi. Recte enim Wuestemannus iudicat, fieri non posse quin adiectivum improbus ad verba urget iratis precibus referatur.

Epist. I, 7, 62: mirari secum tacitus. cf. Epist. I, 6, 55; I, 8, 12; I, 16, 70; I, 18, 75; A. P. 188.

Transeo ad ceteros poëtas.

Tibull. eleg. I, 9, 37 sq.[1]: at non ego fallere doctus | tergebam humentes credulus usque genas.

II, 3 71 sq. (74 sq. Baehr.): tunc, quibus adspirabat Amor, praebebat aperte | mitis in umbrosa gaudia valle Venus.

III, 6, 61 (Pseudotib. I Lygd. el. — Baehr.): sollicitus repetam tota suspiria nocte.

IV, 1, 133 sq. (Pseudotib. II, Paneg. Messal. — B.): laetior eluxit structos super ignis acervos.

(purior pro laetior man. 2 in cod. G.).

---

1) Numeri sunt editionis Hauptianae.

Prop. El. I, 6, 12: ah, pereat si quis lentus amare potest.

I, 18, 25 sq.: omnia consuevi timidus perferre superbae | iussa.

III (II), 20, 1 sq.: quid fles | anxia captiva tristius Andromacha?

IV (III), 8, 5: tu vero nostros audax invade capillos.

Ovid. Am. I, 8, 95: Ne securus amet nullo rivale, caveto. cf. Heroid. XVIII (XIX), 109. Ex Ponto III, 6, 59 sq.

II, 10, 4: Ecce duas uno tempore turpis amo.

III, 11, 35: Odero, si potero si non, invitus amabo.

Met. III, 18: auctoremque viae Phoebum taciturnus adorat.

IX, 244: totoque libens[1] mihi pectore grator.

Fast. V, 275: Talia dicentem tacitus mirabar.

Cum his exemplis congruerent verba Catulli in Baehrensii editione c. LIV, 119: „quae miseră in gnata tabet deperdita leta," si ea vere Catulliana essent. Sed cum verbum „tabet" in codicibus scriptum non sit (codicum enim scriptura haec est: „quae misera in gnata deperdita leta"), omnes veritatis numeros habet versus ab Lachmanno restitutus:

„quae miserā in gnata deperdita laetabatur."

Etenim quae Maehlius illi obiecit (Fleckeis. annal. 1871 p. 351), ea nimis temere dicta sunt.

Grat. Cyn. 152 sq.: sive indomitos vehementior hostis nudo Marte premas.

3. DE VERBIS VENIENDI ET QUIESCENDI.

Venio ad tertium verborum genus, cui adiectiva praedicatum illustrantia iam inde ab litterarum Romanarum

1) De adiectivo libens, quod in talibus enuntiatis pro sollemni formula habitum est inde a Plauti temporibus (cf. Trin. IV, 1, 2 al.), vide adn. Oudendorpii ad Sueton. Claud. cp. XXVIII (p. 613). — cf. volens propitius Plaut. Curc. I, 1, 48, al.; Liv. VII, 26, 4 et saepius.

incunabulis tributa sunt, — ad veniendi et quiescendi verba, a quibus tota ratio horum verborum profecta esse et ad varia verborum genera permanasse videtur. Cum his enim quae a Romanis coniuncta habebantur adiectiva, imprimis ea, quae celeritatem, tempus, locum, ordinem significant, paulatim se insinuabant in quamvis agendi speciem.

Rationem horum verborum perspecturo mihi succurrit Hertzbergius — quaest. Propert. c. II § 26, p. 142, qui ab his aliqua ex parte expleri dicit verbi substantivi vices, velut Prop. El. II, 1, 2: „Quaeritis — unde meus veniat mollis in ore liber.“ „Nam,“ inquit, „praedicati vim non in verbo veniat, sed in mollis positam esse, ablativus post praepositionem in docet, frustra a criticis tentatus. Nec tamen prorsus perinde est, ac si dixeris: mollis in ore est. Nam ita motus significatio, in quo mollities versuum cummaxime apparet, tolleretur.“

Ea omnia recte mihi disputata videntur, nisi quod ex numero exemplorum, quae ab illo enumerata sunt, ea removenda sunt, quae ad participii perfecti passivi usum praedicativum pertinent, cum per se in talibus enuntiatis haerere non soleamus, ut in his:

Prop. El. I, 5, 32: non impune illa rogata venit.
III, 1, 8: exactus tenui pumice versus eat.

Quam bene haec explicatio cum doctrina in prima huius capitis parte exposita concinat, facile perspicitur: itaque illam hoc capite quodammodo continuabo.

Neque vero alienum videtur monere, Ciceronem, qui ceterum abhorret a poëtarum illis artificiis, in epistolis ad Atticum teste Naegelsbachio — Lat. Stilistik § 82 — adiectivum nullus pro adverbio non solum cum eundi verbis coniunxisse.

Ac ne quis Graeci sermonis similitudinem reputans existimet, saltem horum verborum constructionem post divulgata litterarum Graecarum studia in Romanorum carmina irrepsisse, — nam abundat sermo Graecus adiectivis (temporalibus, localibus, aliis) quibus huius generis verba

distinguebantur[1] — iam ex antiqua Romanorum poësi exempla quaedam proferam.

Atque primum quidem se offerunt verba advenire, egredi, redire, abire, exsilire, insilire, confugere, praecurrere, cedere, se corripere, opperiri, stare, similia.

Quae leguntur cum in aliis veterum poëtarum versibus, tum in his Plautinis:

Mostell. III, 1, 46 sq.: Numquam potuisti mihi | magis opportunus advenire.

Hic versus utilis est ad defendendum Truculenti versum IV, 3, 78, quem Spengelius in adn. exemplis duobus[2] illustravit:

Sed nimium pol opportuna eapse eccam egreditur foras.

Rud. IV, 3, 88: tu abi tacitus tuam viam.

(cf. Verg. Aen. IV, 306. tacitusque mea decedere terra).

Merc. I, 2, 72: Quin abi hinc dierectus tuam in provinciam.

cf. Capt. III, 4, 103; Cas. I, 15; Merc. IV, 4, 16; Poen. I, 1, 32; Rud. IV, 4, 126. Ex his exemplis tamen minime sequitur, versum Plautinum Poen. I, 2, 134, qui in omnibus editionibus quibus uti poteram adverbialem formam exhibet mutandum esse:

Mi. Bellula hercle! Ag. I dierecte in maxumam malam crucem.

Confirmatur enim ea lectio versu Trin. 456 R. (457 Brix): Abin hinc dierecte? ...

Cas. III, 5, 8: Num quid est quod huc timida atque exanimata exiluit foras? cf. Rud. II, 3, 36.

Mostell. V, 2, 14: Sed tu istuc quid confugisti in aram hanc inscitissumus?

---

1) Cf. Kruegeri gramm. Graec.[3] § 57, 5, 4: *ὄρθριος, δευτεραῖος, τριταῖος κτλ.* — *ἀφίκετο, αἰφνίδιος, χρόνιος, ὑπόσπονδος, ὑπαίθριος. . .*

2) Alterum supra attuli: Mostell. III, 1, 47; alterum (Rud. III, 5, 23), in quo adiectivum cum verbo substantivo positum est, supervacaneum videtur [,,mihi opportuna hic esset.“]

Cum Ritschelius ad h. l. apte inspici iubeat Bentleianam adnotationem ad Hor. Epist. II, 1, 167, in qua adiectivum inscitus pro adverbio inscite interdum a poëtis positum esse quibusdam exemplis demonstratur [imprimis Plauti vss. Trucul. I, 1; Bacch. IV, 10], non est cur formam inscitissumus cum vocativo commutatam esse Lorenzio affirmanti credamus.

Stich. II, 2, 69—70 (v. 394—395): ego huc citus | praecucurri.

Merc. III, 4, 15: Tristis cedit.

Mil. IV, 4, 62: hilarus exit.

Epid. IV, 2, 13: Quid stas stupida?

Pseud. I, 3, 74: Inanis cedis: dicta non sonant. [1]

Quibus versibus Plautinis addendi sunt hi Terentiani:

Heautontim. I, 1, 98: Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.

Eun. IV, 6, 16: Odiosa cessas.

Ex fragmentis tragicorum, comicorum, Livii Andronici, Ennii, Lucilii accedunt ad illa verba haec:

se proripere, vagare, introcurrere, incedere, transnare, vestigare, volare, se cohibere:

L. Attius, Ter. [VI — 645]: in medium proripit sese ferox.

M. Pacuv. Med. [VII — 225]: Quid tandem? ubi ea est? quod receptast? Exul incerta vagat.

Ribbeckio, qui cum traditam formam incerta, ab mutationibus Vossii, Bothii („incerta an, incertan"), Bergkii („incerto") tutaretur, de hoc versu bene meritus est, astipulari dubito in eo quod illam formam omisso nomine via explicat. Suspicor enim neque vero pro certo affirmare ausim, hanc formam nominativum singularis repraesentare, cuius extremam litteram a olim productam fuisse constat. Quae quidem suspicio mota est apud me versibus duobus illis Ennii, qui hanc quantitatem exhibent: nam cum Ennio

1) Bergkii emendatio apud Lorenzium: „inanis caedis dicta: non sonant" omnino ferri nequit, cum adiectivum inanis a caedendi verbo abhorreat.

Pacuvius cognatione et usu familiaritatis adeo coniunctus fuit, ut exemplar illius poëtae apud hunc multum valere deberet. cf. Corsseni Aussprache und Vocalismus d. Lat. vol. II. p. 450.

Iam commemorandi sunt quidam versus comicorum:

Naev. fragm. inc. III (56): Dubii faventem per fretum introcurrimus.

Caecil. Stat. inc. fab. XXIII (271—72): si quassante capite tristes | incedunt.

S. Turpil. Hetaer. II (75): Erus stupidus adstat.

Trabea incert. fab. I, 3—4: de inproviso Chrysis ubi me aspexerit, alacris obviam mihi veniet.

L. Afran. Cicenar. I (20 Rib.): Sexte o frater mi, salve: quom salvus venis.

Enniani versus hi mihi occurrerunt:

Annal. VI, 14 (208—9 V.): mentes rectae quae stare solebant.

I, 19 (21): transnavit cita per teneras caliginis auras.

I, 34 (41 sq.): Postilla, germana soror, errare videbar | tardaque vestigare.

Atham. (115 sq. Vahl., 110 sq. Rib.): ignotus iuvenum coetus alterna vice | inibat alacris.

epigramm. I (4) V. volito vivus per ora virum.

cf. Liv. Andronic. Odyss. XXXIV (fr. 45): [ex rec. Ottomari Guentheri, Oster-Progr. d. Frdr.-Wilh.-Gymnas. z. Greiffenberg i. P. 1864]:

At céler hásta vólans per — rúmpit péctora férro.

Agmen antiquorum poëtarum Lucilium claudere volo:

Sat. l. XV, 5 (16 M., 425 Lachm.): diversu' videbitur ire.

A Lucretio illud verborum genus his maxime verbis auctum et amplificatum est:

fluctuare, palari, revisere, dissultare:

V, 261 sq. umore novo mare, flumina, fontes | semper abundare et latices manare perennis.

VI, 366 sq.: ut discordia sit rerum magnoque tumultu ignibus et ventis furibundus fluctuet aether.

V, 972 (973 Lachm.): quaerebant pavidi palantes noctis in umbris.

II, 692: non quo multa parum communis littera currat.

III, 566 sq. (568, 69 Lachm., M.): nec magnis intervallis primordia possunt | libera dissultare. . .

VI, 1194 (1196 Lachm.): nec nimio rigidi post artus morte iacebant.

Qui versus a Lachmanno in integrum restitutus est, cum quae tradita sunt verba, rigida post artus morte iacebant „sententiam non explerent."

IV, 512 (514 Lachm., M.): normaque ʹsi fallax rectis regionibus exit.

IV, 1095 sq. (1103 Lachm., M.): nec manibus quicquam teneris abradere membris | possunt errantes incerti corpore toto.

I, 420 sq.: nam corpora sunt et inane,
haec in quo sita sunt et qua diversa moventur. cf. I, 428; II, 247; III, 105.

V, 630 (632 Lachm.): flaccidiore etenim quanto iam turbine fertur | inferior quam sol.

Colore Lucretiano, qui interdum manifesto deprehenditur[1] in M. Manilii astronomicon libris, etiam hi versus fucati videntur:

astronom. I, 504 sq.: Ille ex diverso vertentem surgere contra | obvius.

II, 138 sq.: Sed solus vacuo veluti vectatus in orbe | liber agam cursus non occursantibus ullis.

— 415: adversi volitant, sed amant communia iura.
(cf. II, 520: Quin adversa meant.)

---

1) Cf. Manil. Astron. I, 485 sq.: Atque ipsum esse deum, nec forte coisse magistra — Ut voluit credi, qui primus moenia mundi | seminibus struxit minimis inque illa resolvit. Lucr. de nat. rer. I, 72 sq.: extra | processit longe flammantia moenia mundi. — Manilii verba quae exstant I, 448: „caeli fulgentia templa" nescio an potius ad Ennii „caeli caerula templa" — annal. 50 V. — quam ad Lucretium, qui item nomini „templum" favet, referenda sint.

II, 528: quodque aeterna manent hominum bella atque ferarum.
— 714: Ne vagus ignotis signorum partibus erres.
III, 517; Luna dabit menses, peragit quod menstrua cursum.
cf. III, 180. V, 164, 207 (accepta Jacobi coniectura), 352, 471, 678.

In Vergilii carminibus multa huius generis exempla inveni: e quibus quae memorata dignissima videbantur subsequuntur:

Georg. I, 238 sq.: et via secta per ambas, | oblicus qua se signorum verteret ordo.
II, 51 sq.: cultuque frequenti | in quascunque voces artis haud tarda sequentur.
III, 245 sq.: Tempore non alio catulorum oblita leaena saevior erravit campis.
Aen. I, 503: Talis erat Dido, talem se laeta ferebat.
II, 268 sq.: Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris | incipit, et dono divom gratissima serpit.
III, 377 sq.: quo tutior hospita lustres | aequora.
IV, 149 sq.: haud illo segnior ibat | Aeneas.
V, 162: Quo tantum mihi dexter abis?
VI, 425: Evaditque celer ripam irremeabilis undae.
VIII, 75: quocumque solo pulcherrimus exis.

In Horatii carminibus quam saepe hoc dicendi genus inveniatur paucis versibus potius adumbrare quam accurate demonstrare licet:

c. I, 19, 16: mactata veniet lenior hostia.
c. I, 38, 3—4: Mitte sectari, rosa quo locorum | sera moretur.
c. II, 14, 1—2: Eheu, fugaces, Postume, Postume | labuntur anni. cf. Epist. I, 2, 42.
c. IV, 4, 65: merses profundo, pulchrior evenit. cf. c. II, 8, 6 sq.
c. III, 7, 27: Nec quisquam citus aeque | Tusco denatat alveo.
c. IV, 5, 7—8: gratior it dies | et soles melius nitent.

Ex hoc versu perspicitur, eundi verbo adiectivum, nitendi verbo adverbium magis accommodatum esse.

Epod. XI, 15 sq. Quodsi meis inaestuet praecordiis libera bilis.

— Serm. II, 6, 98: domo levis exsilit.

II, 7, 74: Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.

Ex C. Valgii Rufi carminibus hic versus servatus est (schol. Veron. ad Verg. Ecl. 7, 22 — Unger, de C. Valgii Rufi poëmatis p. 57):

Solet numeros dicere, Cinna, tuos, | dulcior ut numquam Pylii profluxerit ore | Nestoris (trad. Pylio, emend. Unger).

Catullus, qui raro adhibuit adiectiva praedicativa, nulla praebet exempla ad veniendi verba pertinentia, quae morem poëtarum elegiacorum excedant. Itaque exempla ex Catullo excerpta propter communem et structurae grammaticae et coloris poëtici rationem cum versibus Tibulli, Propertii, Ovidii commixta et consociata proponere institui: utque ea facilius percenseri possint, eos variorum poëtarum versus, qui unum atque idem verbum continent, coniunctos ponam:

a) Ire — cum verbis compositis —, currere, iter facere s. peragere.

Catull. XVII, 4: Ne supinus eat.

LXIII, 30: Viridem citus adit Idam — chorus.

cf. v. 42 et Ov. Met. III, 562.

Tib. El. I, 2, 29 sq. (Baehrens., I, 2, 27 Lachm.):

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque qualibet.

cf. Prop. El. II, 34, 45; Ov. Heroid. XVIII (XIX) 92, Met. II, 137; IV, 69 sq.

Tib. El. II, 5, 82: omine quo felix et sacer annus eat. Baehrensius cum cod. G eat scripsit, quod ipse comprobo. Codd. A. V. „erit.“

cf. Ov. Fast. I, 188: Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.

Prop. El. I, 14, 3 sq.: Et modo tam celeres mireris currere lintres | et modo tam tardas funibus ire rates.

cf. Ov. Heroid. I, 8. Trist. V, 2, 52. Tib. El. III, 1 (Pseudotib. I) 3 sq. cum adn. Huschkii.

Prop. El. II, 7, 16: Non mihi sat magnus Castoris iret equus.

Huius versus praedicato, ex quo paene exstincta videtur eundi notio, Propertiana illa licentia, quam ut supra dixi Hertzbergius observavit, confirmatur. Ad eandem normam aestimandus est versus El. II, 7, 15, in quo ut corrupto Hauptius obelum ante „vera“ posuit:

quod si vera meae comitarent castra puellae.

I, 4, 10: Inferior duro iudice turpis eat.

cf. Ov. art. amat. I, 7, 70: Vilis ad amplexus inferioris eat.

Prop. El. II, 1, 31 sq.: Nilum, cum tractus in urbem | septem captivis debilis ibat aquis.

— III (II), 19, 21 sq.: non tamen ut vastos ausim temptare leones

aut celer agrestes comminus ire sues.

— IV (III), 12, 19: Sed securus eas.

Ovid. amores II, 7, 15 sq.: Aspice, ut auritus miserandae sortis asellus | Adsiduo domitus verbere lentus eat.

III, 6, 20: Sic aeternus eas.

III, 6, 99: Damnosus pecori curris, damnosior agris.

III, 9, 9: Aspice, demissis ut eat miserabilis alis.

— Heroid. XIII, 99: de nave novissimus exi. | cf. Met. II, 115; XI, 296.

II, 409: dum redit itque frequens. | cf. IV, 479. II, 696.

III, 571: ab obice saevior ibat. | cf. Prop. El. I, 18, 14.

VII, 776 sq. non ocior illo | hasta, nec exutae contorto verbere glandes, | nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.

VIII, 204 sq.: ne, si demissior ibis,

unda gravet pennas, si celsior ignis adurat.

Fast. IV, 330: unde sinister abit.

IV, 519: sospes eas.

V, 67 sq.: Et medius iuvenum non indignantibus ipsis ibat, et interior, si comes unus erat.

V, 470: sub terras sanguinolentus eas.

— Trist. I, 8, 5: Omnia naturae praepostera legibus ibunt.

III, 12, 37 sq.: Rarus ab Italia tantum mare navita transit: litora rarus in haec portubus orba venit.

cf. Trist. IV, 7, 24; ex Ponto IV, 10, 44.

V, 1, 14: Efficio, tacitum ne mihi funus eat.

cf. Trist. V, 12, 26; Ex Ponto IV, 10, 34.

Grat. Cyn. 123: ne leve vulnus eat.

b) Venire, pervenire, linquere, ferri, cadere, se referre, reverti, procedere, delabi, ruere, ambulare, vagari, errare, fluere, surgere.

Catull. XLV, 7: Caesio veniam obvius leoni.

cf. Ov. Fast. I, 500; Heroid. VI, 43; VIII, 97; Met. XV, 730. — Ars amat. II, 57: ego praevius ibo. cf. Met. XI, 65.

LXI. 8 sq.: laetus huc | huc veni.

cf. Prop. El. I, 11, 25, Ov. Heroid. XII, 55, Met. VII, 487, Fast. V, 578; Trist. I, 5, 65.

Cat. LXIV, 108 sq.: illa procul radicibus exturbata | prona cadit.

cf. Tib. El. IV, 10, 2 (Pseudotib. IV, 4, 2); Ov. Met. I, 508; XII, 361.

Ex Cic. Arat. hic versus relictus est:

(230, Orelli 2. ed.): Si malunt errare vagae per nubila caeli (scil. stellae).

Grat. Cyn. 115 sq.: sed lubricus errat | mos.

cf. Ov. Fast. III, 111 sq.: Libera currebant et inobservata per annum | sidera.

Idem conferendus est in Fast. I, 122; VI, 647, Trist. IV, 2, 59.

Tibull. El. I, 7, 64: Candidior semper candidiorque veni.

cf. II, 5, 7; Ov. Trist. II, 142; V, 5, 14.

Tib. El. I, 9, 4: sera, tamen tacitis poena venit pedibus. cf. Prop. El. III, 4, 5. Ov. ex Ponto IV, 8, 1 sq.

Tib. El. II, 3, 41: mors propiorque venit. | cf. Tib. El. IV, 1, 159.

Prop. El. II, 4, 48: Post venit assueto mollis ad arva iugo.

II, 34, 81: Non tamen haec ulli venient ingrata legenti.

V (IV), 11, 17: Immatura, licet, tamen huc non noxia veni.

III (II), 31, 1: Quaeris, cur veniam tibi tardior. cf. Ovid. Fast. III, 350. Ibis 132.

Ovid. ars amat. III, 674: Prona venit cupidis in sua vota fides.

Met. II, 838: solitoque celer delabere cursu. cf. IX, 765.

VII, 99: laetusque in tecta recessit.

Qui versus teste Hauptio refert Apollonii verba (Argon. 3, 1147): *ἤτοι Ἰήσων | εἰς ἑτάρους καὶ νῆα κεχαρμένος ὦρτο νέεσθαι.*

Ov. Met. VII, 647 sq.: ecce venit Telamon properus, foribusque reclusis | dixit.

Heinsius probat lectionem a codd. Lovaniensi et altero Twisdenio exhibitam „ecce meus Telamon" quasi concinniorem nec invenustam, ut verbum venit subintellegatur: id quod teste Jahnio etiam Bothius praefert, qui tamen non subintellegit cum Heinsio venit, sed ecce refert ad dixit. Lectionem illorum duorum codicum perversam esse eo comprobatur quod adiectivum properus nunquam cum dicendi verbo coniunctum habetur.

Met. VII, 770: effugit et celeri non segnior alite ludit. Heinsius paucorum librorum fide nisus, in quibus „non sequius" legitur, non secius scripsit: qua coniectura imminuitur vis sententiae. Celeritatem fugae enim celeritati alitis non cedere ille contendit. Quod vero Jahnius posuit non segnius plane reiciendum est, cum ludendi verbum hoc loco ita ad notionem verborum veniendi accedat, ut adiectivum ei tribuendum videatur.

Ov. Fast. II, 204: Turbidus hibernis ille fluebat aquis.
— III, 25: Languida consurgit nec scit, cur languida surgat.
— III, 643 sq.: velox humili super arva fenestra | se iacit.
Ex Ponto I, 1, 20: musaque ad invitos officiosa venit.

c) Haerere, sedere, iacere:

Paene omni similitudine caret sed tamen ad quiescendi verba prope accedit quod in Ov. Met. XII v. 570 legitur haerendi verbum adiectivo ornatum:
et quae levis haeserat alae,
corporis affixi pressa est gravitate sagitta.
cf. Tib. El. I, 10, 57 sq.: At lascivus Amor rixae mala verba ministrat, | inter et iratum lentus utrumque sedet.
Prop. El. I, 3, 1 sq.: Qualis Thesea iacuit cedente carina | languida desertis Gnosia litoribus.
En mediocrem collectionem verborum, quae propter notionis similitudinem a variis poëtis Latinis ad eandem regulam directa sunt: quae regula in eo versatur quod poëtae illi inde ab antiquissima aetate, cum eundi verbis uterentur, non solum ut procedendi modum accuratius describerent ad adiectiva confugiebant, sed etiam animum eius qui proficiscebatur eiusmodi nominibus verbo adiunctis designabant.

Atque hoc aliqua ex parte factum videtur propter infirmam illam condicionem horum verborum, cum ea ad externas res tantum spectarent et parum apta haberentur ad hominis reive naturam legentibus proponendam. Ex quo fit ut desideretur notionis quoddam supplementum attributivum, quod verborum elegantiae succurreret auribusque grave quiddam inculcaret. Hoc munere quae fungerentur aptissima videbantur ea

adiectivorum genera,

de quibus in capitibus proximis disseram.

Caput IV.

DE ADIECTIVORUM GENERIBUS, QUAE NOMINALEM FORMAM ADVERBIALI PRAEFERUNT.

1. DE ADIECTIVIS LOCI, TEMPORIS, NUMERI.

Ut his adiectivis augendis et excolendis inservirent Augustei aevi poëtae Latini sine dubio effectum est assidua Graecorum poëtarum lectione. Etenim si in huius generis vocabulis percensendis adiectiva illa pervulgata excipiamus, quae omnibus litterarum Romanarum aetatibus communia sunt, concedere debemus, in comicorum fabulis fere nullam sententiam legi, in qua illud, quod rei quae agitur tribuendum erat, ad agentem transferatur. Itaque cum non ita omnino ab antiquis Romanorum poëtis pendere posteriores putem, ut admittere dubitem ad haec adiectiva explananda quod multi viri docti de universis adiectivis praedicativis falso suspicati sunt, — memoriam renovare mihi liceat versuum illorum Manilii, qui mire concinunt cum quibusdam versibus Ovidianis ab Arnoldio l. l. allatis[1]:

astron. I, 1 . . . 8: Maximus Iliacae gentis vates — cuiusque ex ore profusos
omnis posteritas latices in carmina duxit.

Homerici autem sermonis imitatores fuisse poëtas Romanos inde ab Livii Andronici temporibus constat.

Atque praeter eas elocutiones Graecas, quarum a Vechnero l. l. mentio facta est, alias quasdam partim ex Homericis carminibus excerptas partim ab eius imitatoribus repetitas itemque dignas quae in comparationem vocentur Latinis praemitto:

Hom. *Θ* 530: *ὑπηοῖοι θωρηχθέντες.*
(cf. Matthiae, gramm. graec. p. 834).
— *P* 361: *τοὶ δ' ἀγχιστῖνοι ἔπιπτον.*
— *ξ* 257: *πεμπταῖοι δ' Αἴγυπτον ἐϋρρείτην ἱκόμεσθα.*

---

1) Am. III, 9, 25 sq.: „Adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis.“

Aesch. Ag. 50: ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται.

Soph. O. T. 32: ἑζόμεσθ' ἐφέστιοι.

— O. C. 441: ἤλαυνε μ' ἐκ γῆς χρόνιον.

Cum his autem ita congruunt multi elegantiorum poëtarum versus, qui a comicorum sermone longe recedunt, ut latinum sermonem ad exemplar dictionis poëticae Graecorum expolitum esse appareat.[1]

Quae ratio in huius modi exemplis perspicitur:

Hor. Serm. I. 6, 127 sq.: Pransus non avide, quantum interpellet inani | Ventre diem durare domesticus otior.

II, 7, 28: Romae rus optas, absentem rusticus urbem tollis ad astra levis.

c. III, 24, 9: Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt.

Quamquam hoc exemplum si quis reiiciat, facile patiar, quia ambigi potest, utrum adiectivum campestris ut epitheton ornans Scythis additum sit, an ad vivendi modum accuratius definiendum appositum.

Proxime accedunt ad haec adiectiva ea, quae primus Lucretius vulgasse videtur:

avius, obvius, supinus, obliquus, laevus.

nat. rer. II, 82: avius a vera longe ratione vagaris.

Idem adiectivum redit II, 229; II, 740; III, 463 sq.; Verg. Aen. XI, 810; XII, 480. X, 552:

obvius[2] ardenti sese obtulit.

cf. Lucr. IV, 725 (727 L.), III, 1039 (1041 L.), IV, 33 sq., IV, 332 (309 L.); IV, 1142 (1150 L.); V, 401 sq.; VI, 338 sq. Verg. Aen. X, 734; 770; XI, 504.

Adiectivi supinus formam antiquam Festo auctore (p. 291) hic versus exhibet:

---

1) De consuetudine solutae orationis Graecae multo angustioribus finibus comprehensa cf. Bremi excurs. XI ad Lysiam.

2) Forma obviam quamvis sit frequentior illo adiectivo poëtico tamen non minus antiqua est; cf. Enn. incert. fr. XXXIX — v. 384 Rib. —: morti occumbant obviam.

Lucr. I, 1061: ad simili ratione animalia suppa vagari contendunt.

Obliquus:

II, 247: pondera non posse obliqua meare.

cf. Cic. Arat. v. 301 (Orelli 2. ed.):

Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur.

Singulari paene ratione apud Ovidium positum est adiectivum contrarius:

Met. II, 73: rapido contrarius evehor orbi.

Apud Vergilium et Ovidium adiectivum medius legitur quod propter significationem localem adiectivis illis Lucretianis addendum videtur:

Aen. VII, 169: solio medius consedit avito.

cf. Georg. IV, 436. Aen. I, 682. X, 379.

Ov. Am. II, 16, 3: si medius Polluce et Castore ponar.

— Met. X, 143 sq.: inque ferarum concilio medius turba volucrumque[1] sedebat.

— XIII, 780: Huc ferus ascendit Cyclops mediusque resedit.

Quam levis sit lectio librorum quorundam a Berneggero probata medioque resedit et Harlesius demonstravit et ex versibus modo a me collectis cernitur. Verba quae teste Heinsio codex Florent. S. Marci exhibet: mediosque per aestus [ad quae in margine ascripta sunt verba mediusque resedit][2] pro mera coniectura habenda sunt, praesertim cum sententia actum residendi requirat.

cf. Fast. II, 242.

Cum illis exemplis comparari possunt hi versus Vergilii, Horatii, Tibulli:

Verg. Aen. VIII, 302: Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.

---

1) Heinsius ad V, 301 coni. volucrisque quod concinnitati verborum repugnat.

2) De hac lectione certior factus sum benevolentia H. Keilii, qui collationem huius codicis a se ipso factam domi suae asservat.

Verg. Aen. IX, 768 sq.: Lyncea tendentem contra sociosque vocantem
vibrantem gladio conixus ab aggere dexter | occupat.

Hor. Serm. II, 3, 37 sq.: Nam, male re gesta, cum vellem mittere operto
me capite in flumen dexter stetit.

Tib. El. V (IV), 1, 68: inceptis dextera cantet avis.

Ad poësis latinae principia cum spectemus, in comicorum fabulis vix exigua vestigia adiectivorum localium reperiuntur, quorum aliqua pars non in adiectivorum sed in participiorum numerum referenda est. Quo ex numero haec mihi suppetunt:

Plaut. Pseudol. IV, 1, 45: Non prorsus, verum transvorsus cedit, quasi cancer solet.

Ita Ritschelius, cum in codicibus scriptum sit: „non provorsus, verum ex transverso“ sq. Lorenzius auctoritate Varronis commotus (l. l. VII, 81 Müll.) scripsit: „ut transvorsus, non provorsus cedit“ sq.

Ter. Andr. I, 5, 25: Tot me impediunt curae, quae meum animum diversae trahunt.

Fleckeisenius divorse scripsit, sed adiectiva forma divorsae a Spengelio confirmata est duobus locis similibus:

Plaut. Merc. 470: divorsus distrahor.

Verg. Aen. XII, 487: diversaeque vocant animum in contraria curae.

Ad hos versus accedit:

Plaut. Trucul. IV, 3, 3: Omnium primum diversae state.

Scenicorum poëtarum illos versus denique imitatus esse videtur Lucretius:

IV, 1196 (1204 M., 1210 L.): divorsi cupide summis ex viribu' tendunt.

Macrobius, qui in saturnalium libro sexto ostendit, Vergilium „ex antiquiorum lectione multum profecisse multosque flores in carminis sui decorem ex diversis libavisse,“ cum aliorum tum horum versuum rationem tangit:

Aen. IX, 416: Diversi circumspiciunt. . .

Pacuv. Med. Rib. fr. 224: diversi circumspicimus. . .

Ab librario quodam imperito depravati erant versus Bacch. II, 1, 3—4: Saluto te, vicine Apollo, qui aedibus propinquus nostris adcolis.

Decurtatus enim codex praebet: propinquis, Vetus recte: propinquus.

cf. Tib. El. IV, 1 (Pseudotib. II — Panegyr. Messal.), 133: seu propior terris aestivum fertur in orbem.

Verg. Aen. V. 388: Proxumus ut viridante toro consederat herbae.

— V, 543: Proxumus ingreditur donis qui vincula rupit.

Ov. Ars amat. I, 139: Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto.

Met. XII, 14: In platanum, coeptis quae stabat proxima sacris. | cf. XII, 389.

Magna exstitit controversia de Plautinis Terentianisque formis sublimem et sublimen: in quibus cum et ex praestantium librorum testimoniis et ex doctorum virorum disputationibus imprimis Ritschelii [Mus. Rhen. t. VII p. 556 sq. t. VIII, 155, opusc. II p. 463 sq.], Ribbeckii [Jahrb. f. Philol. 1877 p. 184 sq. et prolegg. ad Verg. p. 447], Ussingii [ad Plaut. Asin. V, 2, 18] ita sublatam esse appareat vim adiectivi ut interdum ex certo quodam consilio adverbium in n terminatum positum videretur, refragantibus Klotzio ad Ter. Andr. p. 197 et Wagnero, transactions of philos. soc. 1869 p. 15, ne ligna in silvam feram, et illa et adverbium sublimiter[1] et adiectivum generis neutrius sublime et Scaligeri substantivum limentum[2] et Schmitzii superlativum sublimentissimus[3] silentio praetermitto. Sed quoniam adverbium sublimen proprium est paucis enuntiatis, non est omittendum adiectivum sublimus ab antiquis poëtis Latinis ad praedicatum ornandum adhibitum esse, velut in hoc Attii

1) cf. Enn. Thyest. IX, 402 V. — Hect. Lutra XIII, 215 V.

2) cf. Scal. ad Varr. de re rust. p. 235.

3) Ex notis Tironianis protractum: cf. Mus. Rh. 1872 p. 616.

versu (Phin. V, 576 Rib.): „aut saepe ex humili sede sublima avolat", quem versum Ribbeckius ad Nonii auctoritatem restituit. — Formam sublimem in Naevii fragmento Lucurg. VII, 30 [(alias) alis

sublimem in altos saltus inlicite (invios)]

a Nonii codice Leidensi pr. m. exhibitam Ribbeckius suadente Buechelero probabiliter in sublime mutavit, cum numerus singularis vix huic versui accommodatus sit.

Ribbeckius l. l. (Jahrb. etc.) complures versus Vergilianos posuit, in quibus adverbium sublimen ex librorum fide, imprimis Gudiani, olim exstitisse ostenderetur: qua in disputatione id unum improbo quod dicit: „fortasse etiam in versu Aeneidos I, 415 idem adverbium restituendum esse, cum libri in tradita lectione sublimis consentiant: ipsa Paphum sublimis abit." Equidem multo verisimilius esse existimaverim, integrum esse hunc versum, quia adiectivum sublimis cum eundi verbo coniunctum est.[1]

Ceterum adiectivo sublimis adverbialiter usi sunt Catullus, Tibullus, Ovidius, Manilius:

Catull. LXVIII[b], 9: Nec tenuem terens sublimis aranea telam.

Tibull., Panegyr. Messal. (IV, 1), 74: Vel si sublimis fluctu consurgeret imo.

Ovid. Met. IV, 721 sq.: Vulnere laesa gravi modo se sublimis in auras | attollit.

— VII, 220 sq.: Quo simul ascendit frenataque colla draconum
permulsit manibusque leves agitavit habenas,
sublimis rapitur.

Heroid. XII, 179: Rideat et Tyrio iaceat sublimis in ostro.

Fast. V, 27: Nec mora, consedit medio sublimis Olympo.

---

1) Item non dubito de integritate adiectivi sublimis in altero versu Vergiliano a Ribbeckio temptato Aen. VI, 357, cui interpretatio e ratione participiali [„in der Höhe schwebend"] convenit.

Manil. Astronom. V, 598: ac toto sublimis corpore fertur. Eadem ratio, quae valet in adiectivo sublimis, etiam in synonymis celsus, altus perspicitur:

Ov. Heroid. X, 126: Cum steteris turbae celsus in ore tuae.

— II, 80: Inque capistratis tigribus alta sedet.

Fast. V, 52: Illa coronatis alta triumphat equis. cf. Fast. II, 250.

Iam in disputatione de iis adiectivis, quibus inest loci notio, digna sunt quae strictim attingantur adiectiva ordinalia: quae cum etiam in soluta oratione frequentissima sint, ab antiquis poëtis exempla repetam, ex quibus simul illud intellegitur, et antiquum esse eum usum et ex arbitrio poëtarum pendere:

Plaut. Aulul. IV, 8, 5—6: Nam ut dudum hinc abii, multo illuc adveni prior, multoque prius me conlocavi in arborem.

— Truc. II, 4, 56—57: Eum nunc non illa peperit, quae peperit prior, sed tu posterior.

— V, 59: prior tu da aliquid. (cf. V, 67).

Ex Terentio unum locum, de quo olim viri docti dissentiebant, descripsi:

Eun. Prol. 6: qui laesit prior.

Codicis Bembini lectionem prior Faërnus, Bentleius formae prius, quam fere omnes reliqui libri praebent, recte antehabent: qua in re diiudicanda plus valet dicendi usus quam quo item forma prior confirmatur Eugraphii incertum testimonium, — cf. Umpfenb. praef. p. XLIII sq.

Ex incertis incertorum fabulis palliatis hic versus decerptus est [Rib. fr. LII v. 70]:

prior ire luci claro non queo.

Mos ab hac antiquitate oriundus insequentibus saeculis non in oblivionem cessit: cuius rei testes sunt versus multi poëtarum, qui Ciceronis et Augusti temporibus fuerunt. Ex his paucos eligo:

Lucr. VI, 1049 (1051 M.): posterior lapidis venit aestus.

Catull. LXVII, 20: non illam vir prior attigerat.
Verg. Ecl. V, 10: Incipe, Mopse, prior.
Aen. I, 581: prior Aenean compellat Achates. cf. Aen. I, 548. VI, 341, al.
Hor. Serm. II, 6, 27: Ne prior officio quisquam respondeat, urge.
Tib. El. I, 4, 32: Qui prior Eleost carcere missus equus.
Ov. Met. IV, 112: nec prior huc veni.
— XIII, 34: An quod in arma prior nulloque sub indice veni.
Fast. IV, 924: Quodque potest alios perdere, perde prior.

Teste Merkelio quattuor codices exhibent perde prius: quos non audiendos esse censeo.

Heroid. VI, 9: Cur mihi fama prior quam nuntia litera venit.

Sed iam his quae modo dixi ad adiectiva temporalia disputanda aggressus sum, quae pari ratione poëtarum sermonem paulatim adeo occupaverunt, ut, cum iam Attius ad hanc sermonis poëtici proprietatem aspiraret,[1] tamen potissimum linguae maxime excultae aetate Romani delectarentur his epithetis:

vespertinus, matutinus, hibernus, nocturnus, crastinus, vernus, diurnus, hodiernus, menstruus, annuus:

Hor. Epod. V, 92: nocturnus occurram furor.
— Serm, I, 3, 117: Et qui nocturnus sacra divum legerit.
II, 699: moenia nocturni subrepere. cf. c. II, 5, 19.
Epist. I, 6, 20: Gnavus mane forum, vespertinus pete tectum.
Epod. XVI, 51: Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.
Serm. II, 4, 17: Si vespertinus subito te oppresserit hospes.
Serm. I, 6, 113: Fallacem circum vespertinumque pererro | saepe forum.

1) Cf. Antenorid. III (123 Rib.): „sed quis est qui matutinum cursum huc celeranter rapit?"

In quo versu commemorandum est, adiectiva interdum poëtice aut obiecto sententiae aut ali orationis parti addi. — Eadem ratio in his versibus apparet:

A. P. 268sq.: Vos exemplaria Graeca | nocturna versate manu, versate diurna.

Epist. I, 19, 1: Nocturno certare mero, putere diurno.

Ex Vergilio hos versus saepe citatos repeto:

Georg. I, 390 sq.: nec nocturna quidem carpentes pensa puellae.
nescivere hiemem.

— III, 537: Non lupus insidias explorat ovilia circum, nec gregibus nocturnus obambulat.

Vocativi forma denique in huiusmodi adiectivis et unica est et digna quae notetur:

Tib. Eleg. I, 7, 53: Venias hodierne.

His addo versum Propertii:

El. IV (III), 5, 27 sq.: unde coactis
cornibus in plenum menstrua luna redit.

Tib. El. II, 1, 48: Deponit flavas annua terra comas, — ubi Dissenus annua pro quotannis dictum esse docet.

cf. El. II, 4, 48; IV, 1, 172 (Pseudotib. II, 172 Baehrens.), Ov. Am. I, 13, 4; Met. X, 219.

Tib. El. II, 1, 49: Rure levis verno flores apis ingerit alveo.

Dissenus vernum recte dici posse alveum existimat, quod status alvei apum alius sit vere quam hieme et aestate. Quae explicatio quam sit frigida et ab omni venustate poëtica remota, apparet: eaque facile is carere poterit, qui mecum in adiectivo verno nihil nisi temporis notionem praedicato tribuendam latere statuerit.

Ov. Fast. III, 345: Sed tibi protulerit cum totum crastinus orbem | Cynthius.

De hoc adiectivorum temporalium usu apud veteres poëtas dubitationem movit Bentleius in Ter. Heaut. IV, 5, 6—7:

Verum ubi videbit, tantos sibi sumptus domi
cotidianos fieri —.

Contendit enim, hunc versum „magistrorum facinus“ esse, „qui nihil prisci saporis voluerint relictum.“ Itaque veram lectionem se revocavisse existimat adverbiali forma cotidiano restituta. Quam ad comprobandam cum ad solutae orationis scriptores tum ad Plautum confugit: Capt. III, 5, 67: „Cotidiano sesquiopus confecerit.“ Sed iure Fleckeisenius, alii in tradita lectione perstiterunt.

Apud Lucretium denique adiectiva menstruus et perennis inveni:

V, 760 sq. (762 L.): et cur terra queat lunam spoliare vicissim | lumine et oppressum solem super ipsa tenere, | menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras.

— 463: exhalare lacus nebulam fluviique perennes. Lachmanni emendatione exhalare pro exhalantque, quam ratio grammatica requirit, minime infringi censeo huius sententiae venustatem.

Venio ad ea adiectiva, quae non ad certa quaedam temporis spatia, sed ad incertas condiciones temporales spectant: quorum ne copiam molestam coacervem, pauca undique collecta ponam:

1) perpetuus, perennis, assiduus.

Adiectivum perpetuus, quod classici poëtae adverbio praetulerunt, etiam apud antiquiores poëtas legitur. Sed hi interdum forma breviore perpes, usi sunt: id quod Festus animadvertit (p. 127 M.): „perpetem pro perpetuo dixerunt poëtae.“

cf. Pacuv. Ilion. X (208): Fac, ut coepisti, hanc operam mihi des perpetem.

Plautus modo „perpes,“ modo „perpetuus“ dixit:

Amph. I, 1, 123 sq.: Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.

— II, 2, 100: Ibi cenavi atque ibi quievi in navi noctem perpetem.

cf. Trucul. II, 2, 23.

Forma recentior perpetuus legitur Asin. I, 3, 82 sq.: perpetuom annum hunc mihi ut serviat.

Stich. I, 3. 14 sq.: solere elephantum gravidum perpetuos decem esse annos.

Mostell. I, 2, 66 sq.: non videor mihi
sarcire posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant.

His versibus quaedam exempla ex posterioribus poëtis sumpta addo.

Hor. c. I, 7, 16 sq.: neque parturit imbres perpetuos nam ita cod. Par. 7900ª (A) et Servius ad Georg. I, 460 scripserunt: perpetuo alii codd., quos Bentleius secutus est.

Ov. Met. IV, 462 sq.: Molirique suis letum patruelibus ausae | assiduae repetunt quas perdant, Belides undas.

Sic Hauptius, Merkelius scripserunt, cum editiones quaedam antiquiores assidue exhibeant.

— Am. III. 6, 98: perennis eas.

cf. Tib. El. I, 95 sq., Prop. El. III (II), 12, 16.

2) Intempestivus, tempestivus, immaturus, maturus, subitus, repens, repentinus, improvisus, serus, aeternus.

Plaut. Mostell. III, 2, 141: Intempestivos excisos credo (scil. postes): id eis vitium nocet.

cf. Ov. Fast. I, 433 sq.

Verg. Geo. I, 256: [quando conveniat] tempestivam silvis evertere pinum.

Lucret. V, 221: quare mors immatura vagatur?

Prop. El. III (II), 18, 12: Maturos iterum est questa redire dies.

Hor. c. II, 17, 5—6: Ah, te meae si partem animae rapit | Maturior vis.

Huic adiectivorum generi adnumerandum est adiectivum festinus quod apud Vergilium semel quantum memini legitur:

Aen. IX, 486 sq.: nec te, tua funera mater
produxi pressive oculos aut vulnera lavi
veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
urguebam.

Verg. Georg. III, 360: Concrescunt subitae currenti in flumine crustae.

Aen. III, 225 sq.: At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt | Harpyiae.

— XII, 576: Scalae improvisae subitusque apparuit ignis.

In cod. Gudiano ab altera manu forma subitus in subito male correcta est.

cf. Aen. VII, 67 et VII, 446 ubi v. Rib.

Ov. Met. III, 40: subitus tremor occupat artus.

Fast. I, 270: Sumque repentinas eiaculatus aquas.

— I, 95 sq.: bina repens oculis obtulit ora meis, ubi multi deterioris notae codices repente exhibent.

Adiectivo serus poëtae inde ab aetate Ciceroniana libenter usi sunt:

Qu. Cic., de XII signis (19—20 Orell. M. Tull. Cic. op. Ed. 2.) serus in alta
conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

Hor. c. I, 2, 45: serus in caelum redeas.

— I, 15, 19: tamen, heu, serus adulteros
crines pulvere collines.

Epist. II, 1, 161. Serus enim Graecis admovit acumina chartis.

cf. c. III, 8, 21—22; Serm. II, 7, 32.

Tib. El. I, 7, 61 sq.: Te canit agricola, a magna cum venerit urbe
serus inoffensum rettuleritque pedem.

cf. Tib. El. III (Pseudotib. I), 4, 22.

Prop. El. IV (III), 4, 5: Sera sed Ausoniis veniet provincia virgis.

Ov. ars amat. II, 223 sq.: nec nisi serus abi.

cf. Rem. am. 109 sq., Heroid. XI, 22; II, 109; Fast. IV, 77 sq.; Trist. II, 545.

Iam ad adiectivum aeternus venio:

Prop. El. V (IV), 321 sq.: aeternusque tuam pascat, aselle, famem.

Improvisus:

Verg. Aen. 505 sq.: improvisi adsunt.

Quaestione huc perducta dicendum est de iis adiectivis, quae commixta sunt ex temporis locique elementis: quae quamvis fuerint omnibus poëtis communia, tamen pro dicendi arte diversa paululum commutabantur.

Itaque in antiquiore poësi non legitur adiectivum lentus cum verbo aliquo coniunctum, quod frequentissime adhibitum est ab elegantioribus poëtis ad praedicati vim augendam: cuius adiectivi variae notiones uberius enarratae exemplisque illustratae sunt ab Heinsio ad Ovid. Her. XIX, 81, qui operam dedit hoc loco, ut adiectivo laetus in tralaticia lectione „laeta sonantes“ adiectivum lentus substituendum esse evinceret.

Adiectivum tardus, quod poëtis aevi Augustei gratissimum est, iam apud Ennium legitur:

Ann. I, 34 (41 sq.) V: ita sola | postilla, germana soror, errare videbar | tardaque vestigare.

Hunc secuti sunt Vergilius, Horatius, Tibullus, Ovidius.

Verg. Aen. V, 280: Tali remigio navis se tarda movebat.

Hor. Epist. I, 1, 23: Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora.

— A. P. 255: Tardior ut paullo graviorque veniret ad aures.

Tib. El. I, 8, 16: Nec nitidum tarda compserit arte caput.

Ov. Trist. V, 2, 51: Sic habites terras, sic te desideret aether, | sic ad pacta tibi sidera tardus eas.

Nonii glossa 392, 15: „spissum significat tarde“ nititur hoc versu Titinii ex fabula togata, quae inscribitur „Gemina“: (fr. IX, v. 54 Rib.):

Longus sermo habetur, revertetur spissa.

Huic societati adscribatur extremo loco adiectivum segnis:

Verg. Aen. VII, 383 sq.: Non cursu segnior illo per medias urbes agitur.

Verg. Aen. VIII, 414 sq.: Haut secus ignipotens nec tempore segnior illo | mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.

— X, 657: nec Turnus segnior instat.

Ex adiectivis celeritatem indicantibus haec inveni: citus, celer, levis, velox, ocior.

Adiectivum citus iam Plautino sermoni proprium est. cf.:

Amphitr. I, 1, 88—89: Equites parent, citi ab dextera maxumo cum clamore involant.

cf. Ennius, Alex. VIII v. 87 sq. (Vahl.) — II (50—51) (Rib.):

Iamque mari magno classis cita texitur.

Ex Lucretio hi versus repetendi sunt:

I, 384—85: postremo duo de concursu corpora lata si cita dissiliant. . .

Vergilius saepe hoc adiectivo usus est:

Aen. I, 301: ac Lybiae citus adstitit oris.

— IV, 573: solvite vela citi.

cf. Aen. V, 33. IX, 37. XI, 462. XII, 425.

Paululum commorandum est in versu quodam Horatiano, in quo similiter usurpatum est adiectivum celer:

c. II, 7, 13—14: Sed me per hostes Mercurius celer denso paventem sustulit aëre.

Errat enim Orellius, qui vocem celer in hoc versu non adverbii, sed epitheti vice fungi affirmat, cum Mercurio a poëtis Graecis interdum appellationes ὠκύς, ὠκύπους tribuantur. — Qua ambiguitate certe carent hi versus Vergilii, Ovidii:

celeres concurrunt Verg. Aen. VII, 519 sq. celeres peragunt Ov. Met. II, 119. agor velox Hor. c. III, 25; velox praevidit Verg. Aen. V, 444 sq.; levis desilit Hor. Epod. XVI, 48; Ocior: Hor. c. I, 2, 47: Neve te nostris vitiis iniquum ocior aura | tollat.

Corruptum est alterum exemplum:

Hor. c. II, 20, 13 sq.: Iam Daedaleo ocior Icaro | visam gementis litora Bospori.

Cum hunc locum et propter argumenti absurditatem et propter hiatus molestiam pro suspecto haberent ex interpretibus quidam,[1] Bentleius scribendum proposuit tutior id quod Hauptius probavit: Peerlkampius audacior. Libri duo optimi — Parisinus 7900[a] et Bernensis 363 — notior exhibent, quae lectio aliena videtur ab hac sententia. — Exempla autem quibus Orellius comprobare studet, hiatum in commissura verborum interdum admissum esse a poëtis Latinis, nihil valent. Etenim primum cum illa exempla tum ea quae Hermannus in epit. doctr. metr. § 85 de admittendo hiatu disputavit, ad versus dactylicos referenda sunt: tum vero lex illa ab Lachmanno ad Lucr. p. 196 constituta,[2] ad quam quis provocare possit, ad praemissa vocabula diiambica non pertinet. Itaque corruit etiam defensio vulgatae lectionis a Mitscherlichio instituta, qui propterea accommodatum esse unum adiectivum ocior huic loco existimat, quod Horatius praeceperit, se „penna haud tenui instructum“ celeriorem futurum esse Icaro. Quae cum ita sint, in Bentleii emendatione acquiescendum esse puto. — Recte autem se habet hic versus Vergilianus:

Aen. VIII, 223: fugit ilicet ocior Euro.

Restat ut dicam de adiectivis numeralibus, quae quam sint arte connexa cum temporalibus comprobatur quibusdam incerti numeri adiectivis: horum enim notio a natura frequentativa profecta simul numerum coacervatum comprehendit. In his habentur adiectiva rarus, frequens. Ea cum apud posteros plerumque copiam — illud exiguam, hoc magnam — exprimant, apud vetustiores poëtas ad indicandas actiones raro vel saepe repetitas posita videntur. Velut Hor. c. IV, 1, 34: Manat rara meas lacrima per genas.

---

1) Cf. Luciani Muelleri de re metrica Romanorum lib. IV p. 307: „longa syllaba nec ipsa stare potest in thesi cum hiatu nisi ut migret quantitatem — — — quae cum ita sint, non a metro rectius quam a sensu stabit quod etiamnum plerique tribuunt Horatio: iam Daedaleo ocior Icaro.“

2) „Syllabam acutam cum hiatu poni post vocabulum iambicum.“

A. P. 258. Hic et in Acci
nobilibus trimetris apparet rarus.

Verg. Ecl. VI, 39 sq.: cumque
rara per ignaros errent animalia montis.
cf. Aen. IX, 189.

Temporalis autem notio praevalere videtur in hoc versu Plautino:

Trucul. I, 1, 29 sq.; si raras noctes ducit, ab animo perit.

Eadem vis apud Ovidium et Manilium invenitur:

Ov. Met. XI, 766: nec Iliacos coetus nisi rarus adibat.

Manil. Astron. II, 620: sed rara gerit pro tempore bella.

Huic adiungo adiectivum frequens:

Hor. c. II, 17, 25—26: cum populus frequens
laetum theatris ter crepuit sonum.

— III, 1, 34: huc frequens
caementa demittit redemptor.

Recte Orellius haec verba explicat: „multis operis ac servis circumdatus.“

His Horatianis versibus addo Plautinum:

Miles III, 1, 68: Ita ego ad omnis comparebo tibi res benefactis frequens.

Eodem loco cum adiectivo frequens a Vergilio habitum est adiectivum densus in hoc versu:

Aen. X, 361. Concurrunt: haeret pede pes densusque viro vir.

Notatu denique dignum videtur adiectivum creber:

Verg. Aen. V, 199 sq.: tum creber anhelitus artus
aridaque ora quatit.

— V, 459 sq.: sic densis ictibus heros
creber utraque manu pulsat versatque Dareta.

cf. Georg III, 470. Aen. V, 764.

Etiam horum adiectivorum ratio vulgata videtur per Lucretium, qui quemadmodum huic constructioni studuerit uno versu doceo: IV, 891 (894 M.):

(aër) per patefacta venit penetratque foramina largus.

Proximum est ut disseram de duobus adiectivis, quae cum initio poësis Remanae locum primarium tenuerint in

adiectivorum praedicativorum penu quotidiano, postea non nisi in raris sententiis adverbialiter posita emergunt: totus et nullus, quibus nescio an mihi addere liceat adiectiva multus et merus eadem ratione cum verbis suis constructa.

Atque ad grammaticam structuram intellegendam quae inest in versu Horatiano

c. I, 19, 9: in me tota ruens Venus | neque sufficit quam Mitscherlichius ei subiecit sententia Graeca: Ach. Tat. I: ὅλος γάρ μοι προσέπεσεν ἔρως, neque Martialis versus, quem ille ad Hor. c. III, 30, 6 adscripsit:

Quis Stygios non vult totus adire lacus?

Potius quaerendum est, num ea vis etiam apud poëtas antiquiores in voce totus lateat, quae apte reddatur compluribus verbis linguae vernaculae: „dem ganzen Wesen nach, ganz und gar.“ Et sane multos inveni versus Plautinos Terentianosque, quibus demonstratur, huius adiectivi usum praedicativum illorum tempore frequentissimum fuisse. Ex his quosdam in medium profero:

Mostell. III, 2, 10: Tota turget mihi uxor, scio, domi.

Merc. V, 3, 3: Nam mea uxor propter illam tota in fermento iacet.

Amphitr. V, 1, 15: Totus timeo, ita me increpuit Juppiter.

Terent. Phorm. V, 9, 5: Abi, tange; si non totus friget, me enica.

cf. Plaut. Mostell. III, 3, 1; Trucul. IV, 1, 7; Stich. V, 5, 8; Asin. V, 2, 78; Aulul. III, 1, 17; Ter. Adelph. IV, 2, 50; Heautontim. V, 4, 20; Phormio I, 2, 3—4, saepius.

Hanc igitur constructionem receptam a veteribus poëtis recentiores libenter admiserunt.

cf. Catull. c. LXI, 172 sq.: vir tuus — totus immineat,
Propert. El. IV (III), 16, 14: quae voluit — tota subire,
Ov. Met. IX, 95 sq.: totaeque residant — aquae.

Heinsius ut saepe nulla ratione cogente vulgatam lectionem correxit „cum uno Basil. et Gryphii margine“ praefert „motaeque,“ ductus exemplo Vergilii:

„motos praestat componere fluctus.“

Sed nihil mutandum est.

Ovidius illam notionem ad adiectivum omnis transtulit:

Trist. V, 14, 5 sq.: Dumque legar, pariter mecum tua fama legetur,

Nec potes in maestos omnis abire rogos. Alia exempla ad adiectivum omnis pertinentia[1] inveniuntur Lucr. II, 829 sq., Hor. c. III, 30, 6. Serm. I, 4, 6. Epist. I, 1, 11. Verg. Aen. VII, 598 cum adn. Ladewici.

Multo rarius his adiectivis et fere remotum ex posteriorum scriptorum sermone est

adiectivum „nullus" pro „non"

positum. In quaestione de hoc usu proficiscendum videtur a Spengelii adnotatione ad Ter. Andr. II, 2, 33, qui Priscianum secutus — p. 626 K. — affirmavit, in adiectivo nullus vim negationis auctam apparere. Quae cognitio sane confirmatur hoc exemplo Horatiano:

Serm. II, 89 sq.: Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus | illis nullus erat.

Praeterea exstant quidam loci Ciceroniani, qui a viris doctis de hoc adiectivo disputantibus apte in comparationem vocantur (cf. Haase, adn. ad Reisig. schol. de gramm. Lat. § 395):

Cic. ad Att. XI, 24, 4: „Philotimus nullus venit." — Pro Roscio Am. 44, § 128: „haec bona in tabulas publicas nulla redierunt."

Exaggeratam negationis vim huic adiectivo provenisse ex vulgari dicendi more Brixius ad Plaut. Trin, III, 15 suspicatus est, cum quae Donatus ad Ter. Eun. II, 1, 10 adnotavit — voces nullus et non sine ulla discrepantia notionis inter se commutatas esse — vera esse negaret.

Atque cum Ruhnkenio monente (ad Ter. Andr. II, 2, 33) huius adiectivi propages apud comicos latissima sit, recte Zumptius gramm. lat. § 688 vim illam in comicam partem interpretatur: vulgaris enim sermonis illud studium augendi inque maius tollendi etiam hanc formulam procrea-

1) Hoc loco liceat mihi mentionem iniicere adiectivi Graeci ἄλλος adverbialiter positi, de quo exstat commentariolum diligentissime per R. de Kittlitz-Ottendorf. elaboratum: Philol. 1859 p. 613 sq.

visse videtur. Quod ad comprobandum nonnullos locos afferro:

Plaut. Trin. III, 1, 5: At tute edepol nullus creduas.

Cas. IV, 2, 16: Qui amat, tamen hercle si esurit, nullus esurit.

Sic hunc locum Douza et Pareus restituerunt ex Palatinorum librorum scriptura, qui nullum exhibent.

Menaechm. V, 5, 27: ubi satur sum, nulla crepitant (scil. intestina).

Rud. I, 2, 55: Ille, qui vocavit, nullus venit.

Ter. Hec. I, 2, 3—4: si quaeret me, uti
tum dicas: si non quaeret, nullus dixeris.

Holtzius denique (syntax. prisc. script. Lat. vol. II p. 202) affert ex Naev. Quadrigem.:

„suo labori nullus parcuit."

His locis, quorum numerum augere non opus est, demonstratur, errasse Luebkerum (l. l. p. 50) cum adiectivum nullus in artis oratoriae adiumenta relegans elocutionem rhetoricam cum quotidiani sermonis formula confunderet: immo, si vis illa comica ulli dubitationi obnoxia esset, omnis scrupulus ex animo evelleretur iis locis, in quibus verba „nullus sum" pro „perii" scripta hilaritatem legentium excitant. Velut:

Plaut. Cas. III, 5, 1: Nulla sum, nulla sum, tota, tota occidi.

Bach. II, 2, 16—17: Animast amica amanti, si abest, nullus est, si adest, res nullast.

Ter. Hecyr. IV, 1, 3: credo ipsum exire ad me: nulla sum.

Haec desperationis formula — de qua plura vide apud Holtzium l. l. — a Donato in adnotatione ad Ter. Andr. III, 4, 20 nimis argute sic explicata est:

„Plus est nullum esse quam periisse. Nam qui periit, vel corpus habet reliquum: qui vero nullus est, ita non est, ac si natus non sit."

Longe autem a vera ratione huius formulae aberravit Schadebergius (Neue Jahrb. für Philol. und Paedag. I. Suppl.-Bd. H. 1. 1835 p. 415): „nullus dubito bezeichnet

einen permanenten Zustand: ich bin kein Zweifler, — das andere nur ein aoristisches Zweifeln für den Augenblick.“

Hoc ineptum esse iam inde sequitur quod ea distinctio si recte ab illo excogitata esset, etiam in alia verba cum adieetivo negativo coniuncta cadere deberet: cui maior pars illarum sententiarum refragatur. Acquiescendum igitur esse censeo in Naegelsbachii verbis (lat. Stilist. § 82), qui his locis adiectivum nullus vertendum esse affirmat: „in keiner Weise,“ quia res illis hominibus perficiendae non solum per se non factae esse dicantur, verum etiam ipsi munera sua nunquam aggressi esse putandi sint.

Atque hac in voce ponenda iterum cum illis poëtis antiquioribus consentiunt Catullus, Propertius, Ovidius:

Catull. VIII, 14: At tu dolebis, cum rogaberis nulla.

Prop. El. I, 5, 21 sq.: Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
aut cur sim toto corpore nullus ego.

Ov. Met. XI, 570: Proque viro, qui nullus erat.

Conferenda est adnotatio Jahnii ad h. l.: qui in comparationem vocat Met. IX, 735 et XI, 684 sq. [1]

Voce nullus omissa mihi in mentem venit adiectivi merus, quod ad naturam incorruptam rei alicuius exhibendam ita ponitur a poëtis comicis, ut restrictio quaedam oriatur: merus pro nihil nisi scriptum est. Atque haud alienum videtur huius vocabuli rationem exemplis poëtarum quibusdam illustrare, cum Spengelius ad Plaut. Trucul. I, 1, 22 testetur, exclusa adverbiali forma substantivo semper adiectivum merus adhaerere.

Plaut. Trucul. I, 2, 65: nunc ad amicam meras querimonias referres.

cf. Plaut. Stich. V, 5, 7; Trucul. II, 2, 14.

Hor. Epist. I, 7, 84: Sulcos et vineta crepat mera.

De adiectivo multus et de iis adiectivis numeralibus, quae ordinalia vocantur cum verba facere vix opus videatur,

1) In historicorum soluta oratione item nullus interdum locum tenet adverbii non: cf. Liv. XXIV, 36, 8: occasio pugnandi — nulla contigerat [Kuehnast, liv. Syntax p. 56].

tamen ad adiectivi illius vim adverbialem accuratius cognoscendam et ab omni permutatione cum aliis constructionibus vindicandam paucos versus ex Ennio, Lucretio, Vergilio, Horatio, Ovidio decerptos afferro[1]:

Enn. Ann. 50 sq. (V.): Quam multa manus ad caeli caerula templa
tendebam lacrumans.

Lucret. nat. rer. VI, 515 sq.: quasi igni
cera super calido tabescens multa liquescit.

— 619: at pelage multa et late substrata videmus.

Plurimus: Verg. Ecl. VII, 60: Juppiter et laeto descendet plurimus imbri.

Georg. II, 165 sq.:
Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
ostendit venis, atque auro plurima fluxit.

Aen. IX, 536 sq.: Et flammam adfixit lateri, quae plurima vento
corripuit tabulas.

— XII, 690 sq.: ubi plurima fuso | sanguine terra madet.

cf. Aen. I, 334. VI, 658 sq., XII, 65.

Digni sunt qui cum illis conferantur duo versus Horatiani, quorum alter adiectivum immensus, alter adiectivum multus praebet:

c. IV, 2, 7: immensusque ruit profundo Pindarus ore.

Serm. I, 7, 28: Tum Praenestinus salso multoque fluenti | expressa arbusto regerit convicia.

Quam perversa sit Nic. Heinsii coniectura musto pro multo Heindorfius docuit adscriptis exemplis graecis et latinis, ut Dem. de cor. p. 272 R.:

---

1) Cavendum vero est, ne cum adiectivi multus constructione praedicativa, quae subaudiri vult adverbia valde, vehementer, saepe, similia, confundatur usus collectivus huius adiectivi: cuius ratio in modo singulari pro plurali habendo posita est. Hanc constructionem qui adhibuerunt Latini cum vetustiorum e Graecis tum Alexandrinorum poëtarum morem imitati sunt: atque hunc Bernhardyus exposuit in „Paralipom. syntax. Graec.“ p. II. Hal. 1862 p. 50 sq.

Τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα.

Alias sententias et Graecas et Latinas Heindorfius ad hos versus illustrandos contulit.[1]

Ovid. am. I, 15, 38: Atque ita sollicito multus amore legar.

Heroid. II, 32: Quique erat in falso plurimus ore deus. cf. Fast. II, 269 sq., IV, 440 sq., Trist. IV, 10, 128.

Forma maior denique, quam ab Horatio pro magis positam esse c. III, 20, 8 Orellius recte censet, tam inaudita videbatur Peerlkampio, ut eam emendatione tollere conaretur. Verba autem sunt haec:

Grande certamen, tibi praeda cedat | maior an illi.

Peerlkampius, cui Hauptius assensus est, illa sic mutavit:

Maior an illa, scil. sit.

Sed cum cedendi verbo nomen adiectivum commodissimum sit, lectio codicum etiam altero loco Horatiano confirmatur:

Epod. I, 17—18: Comes minore sum futurum in metu, qui maior absentes habet.

Antiquiorem similitudinem convenientem cum illis versibus Horatianis praebet Terentius:

Heautontim. II, 3, 113: Quasi istic mea res minor agatur quam tua.

Non defuisse qui minus agatur scriberent Bentleius affirmat, qui ad fulciendam codicum fidem his Senecae verbis utitur:

de clem. I, 20: „ut non minorem agi rem periclitantis, quam iudicis, sciat.“

2. DE ADIECTIVIS, QUIBUS PARTICIPIALIS NATURA INEST.

Quod in priore dissertationis meae parte contendi, vehementer errasse Naegelsbachium, cum in adiectivis animi affectum aliquem depingentibus primum increbruisse diceret

---

1) De similitudinibus Graecis apud Thucydidem (e. g. IV, 22: *πολὺς ἐνέκειτο*) vide quae congessit Poppo, de elocutione Thucydidis: ed. maior vol. I pars 1 p. 168 sq.

usum adiectivi praedicativi, id aliqua ex parte confirmatur ea quaestione, ad quam iam accedo.

Quaeritur autem, num quae adiectiva ex illo numero merito ac iure non habeant adverbia: qua re affirmata vix erit cur dubitemus, quin paulatim alia adiectiva ad eorum notionem aspirantia cum iis ad unam eandemque normam tractata sint.

Cum participia vero minus favere adverbiali formae constaret, Rothius docuit (l. l. § 4), quasdam adiectivorum terminationes idoneas esse habitas, in quas participii notio transferretur: quam doctrinam iam a Nonio grammatico nonnullis exemplis probatam[1] Corssenus adumbravit [krit. Beitr. zur lat. Formenlehre p. 350, p. 364; — Ausspr. u. Vocalism. I p. 567), cum terminationes fer, ber, bernus, bilis idem valere demonstraret atque participium ferens.

Atque primum quidem apertum est, adiectiva a verbis derivata vel potius mera participia reiecta omni terminatione adverbiali verbis adiuncta esse. Ab his participiis nobis proficiscendum est cum illa adiectiva a poëtis classicis usitata contemplamur, quae ab antiquioribus grammaticis suppleto participio *ὤν* expediebantur.

Itaque ut ab adiectivis participialibus, quae apud aevi Augustei poëtas leguntur, ordiar, notum est, horum adverbialem formam sane non inusitatam adiectivae posthabitam esse: prudens, imprudens, sapiens, libens,[2] insolens, impotens, decens: quibus in participiis fugacis actionis ratio qualitatem diuturnam superasse videtur. Ex his quaedam apparent iam in antiquae poësis reliquiis:

Apud Plautum Men. V, 9, 14 codicum testimonio legitur:
Quaeso ignoscas si quid stulte dixi atque imprudens tibi.

---

1) Cum p. 174, 26 formam Lucilianam „scelerosi“ pro „scelerati“ habendam esse moneret.

2) Constructio adiectivi „libens“ est eadem atque Graecorum *ἄσμενος, ἑκών, ἑκούσιος, ἐθελούσιος, ἐθέλων.* cf. Kruegeri gramm. Graec.[4] § 57, 5, 2. — Pind. Isthm. V [VI], 61 sq.: *ὦ Ζεῦ πάτερ, θυμῷ θέλων ἀρᾶν ἄκουσας.* [Mitscherl. ad Hor. c. III, 30, 16].

Ter. Phorm. V, 1, 17 (Umpfenb., Fleckeis.; IV, 6, 17 Dziazk.):

verum istoc me nomine

eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes[1] foris effutiretis.

Adiectivum prudens maxime participialem naturam prae se fert in hoc fragmento tragico:

LXXVIII, 145 sq. — Rib. — prudens et sciens | ad pestem ante oculos positam. . .

Idem invenitur apud Ennium:

Annal. VI, 18 — 216 (V.). Certando prudens animam de corpore mitto.

Adiectivum imprudens usurpatum est ab Lucretio: V, 1007 sq. (1009 sq. M.)

illi inprudentes ipsi sibi saepe venenum | vergebant.

Posteri saepe ad adiectiva prudens, imprudens confugerunt:

Hor. c. III, 29, 9: Prudens futuri temporis exitum
caliginosa nocte premit deus.

— Serm. I, 10, 87 sq. Complures alios, doctos ego quos et amicos | prudens praetereo.

Tib. Eleg. I, 6, 29: Non ego te laesi prudens.

Ov. Met. III, 364: illa deam longo prudens sermone tenebat.

Fast. V, 685: Sive deum prudens alium diamve fefelli. cf. V, 613.

Ut adiectivum prudens pro adverbio consulto habitum est, ita imprudens pro inconsiderate:

Hor. Sem. I, 4, 135 sq.: Sic dulcis amicis
occurram. Hoc quidam non belle: numquid ego illi
imprudens olim faciam simile? —

---

1) Quod pro adiectivo imprudens hoc loco in Terentii libro Basilicano vitiose positum est adiectivum impudens Horatii tempore interdum vim adverbii habuit ut

c. III, 27, 49 sq.: impudens liqui patrios Penates, impudens Orcum moror.

Tib. El. I, 2, 39: Si quis et imprudens aspexerit.
Prop. El. V (IV), 1, 71: Quo ruis imprudens, vage, dicere fata, Properti?

Lachmannus ad h. l. monet, vocem imprudens non vocativum repraesentare, sed primo casu positam esse: „imprudens dicere.“

Ov. Fast. IV, 534; Longamque imprudens exsoluisse famem. cf. ib. V, 338.

Rationem in adiectivo prudens perspectam Horatius ad adiectivum sapiens transtulit:

Serm. I, 1, 36 sq.: [magni formica laboris] —
quae simul inversum contristat aquarius annum,
non usquam prorepit et illis utitur ante | quaesitis sapiens

Reiecta Gesneri coniectura potiens docta illa quidem sed minus eleganti, adiectivum sapiens contra optimorum codicum auctoritatem vulgatae lectioni patiens praeferendum puto. Nam praeter Bentleii et Heindorfii sententias gravissimas me commovit similitudo Graeca ab Orellio allata:

Hes. O. et D. 778, ubi formicae appellatio Ἴδρις datur:
ὅτε τ' ἴδρις σῶρον ἀμᾶται.

Transeo ad adiectivum libens quod comici vehementer adamaverunt, quamquam item Horatius, Vergilius, Propertius eo uti non dubitaverunt. Itaque prae illis paucis versibus, quos apud recentieres poëtas Latinos hoc adiectivum occupat, comicorum versuum copia nobis respicienda est satis magna: quam universam percensere non meum esse puto.

Plaut. Pseudol. I, 5, 109: Agedum, studeo hercle audire: te ausculto lubens.

Ritschelius hunc versum ex duobus contraxit eiectis quibusdam verbis spuriis. Atque illos codex vetus sic exhibet:

C. Studiė hercle audire nam te dauscultu lubens.
S. Agedum, nam satis libenter te ausculto loqui.

Interpolationis suspicio forma libenter confirmari videtur.

Afran. Simul. fr. 4 (v. 306 Rib.): Ne ego illos velitantes ausculto lubens.

Plaut. Trin. IV, 1, 2: Neptuno — laetus lubens laudes ago.
Liv. Andronic. Aegisth. V (v. 9): Sollemnitusque deo litat laudem lubens.

Hos versus memoria repetenti mihi in formam lubens appellatio vocis sacrae cadere videtur, quam Ladewicus ad Verg. Aen. III, 457 participio volens tribuit.

cf. etiam Mitscherl. ad Hor: c. III, 30, 16.

Ad exemplar priscae latinitatis adiectivum libens pro adverbio libenter positum est in multis recentiorum poëtarum versibus:

Hor. c. III, 4, 29 sq.: libens
insanientem navita Bosporum tentabo —
— Epist. I, 14, 44: quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.
Verg. Aen. III, 438: Junoni cane vota libens — cf. Aen. VI, 146. VIII, 155.
Tib. El. IV, 5, 9 (Pseudotib. 4, 9 Baehrens): Magne Geni, cape tura libens.
Prop. El. III (II) 24, 27: Tetra venena libens et naufragus ebibat undas.
Ov. Met. XIV, 720: Vincis enim moriorque libens.

Extremo loco commemoro:

Ov. Am. III, 751: Sera veni, positaque decens incede lucerna.
Hor. Epod. XVI, 13 sq.: Ossa Quirini | dissipabit insolens.

Haec constructio, quam Augustei aevi poëtae in usum suum converterunt, certa lege caret apud antiquiores poëtas, qui modo adverbialem, modo adiectivam formam illorum participiorum praetulerunt:

cf. Plaut. Bacch. II, 2, 23: Vide, quaeso, ne quis tractet illam indiligens.
— Mil. I, 1, 28 at indiligenter iceram.

Praeter illa genuina praesentis participia multa exstant nomina adiectiva in varias syllabas exeuntia, quibus vis participialis interdum propriis terminationibus notata continetur. Ex hoc ingenti numero primum adiectiva in tus terminata recenseamus. Quorum naturam Haasius

illustrat his verbis ad Reisigii schol. de gramm. lat. § 110: „Ursprünglich sind diese Wörter wohl nur anzusehen als Participia perf. pass., oder vielmehr nach deren Analogie gebildet von verlorenen oder nur in der Idee vorhandenen Verbis.“

Neque vero omnia huius generis adiectiva enumerabo, sed ea tantum, quae aeque apud poëtas classicos atque in antiquissimo poësis Romanae sermone inveniuntur: quo in numero habentur adiectiva tacitus, invitus, laetus. Ex his autem adiectivum invitus ab omnibus scriptoribus latinis cum verbis coniungi solet.

tacitus:

Plaut. Bacch. IV, 9, 59 sq.: lacrumans tacitus auscultabat, quae ego loquebar,
tacitus conscripsit tabellas.

Horat. Epist. I, 17, 50 sq.: Sed tacitus pasci si posset corvus (cf. Serm. I, 9, 12, al.).

Verg. Ecl. IX, 21: Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper. cf. Aen. II, 125.

Ovid. ars amat. I, 628: Si tacitus spectes.
cf. Heroid. III, 12.; Trist. I, 1, 21 sq., ib. 29, V, 1, 50.

invitus:

Plaut. Poenul. III, 1, 32: Quod tu invitus nunquam reddes domino.

Stich. I, 3, 3—4: Neque quisquam melius referet matri gratiam,
quam ego matri refero meae Fami invitissimus.

Catull. LXVI, 39: Invita, o regina, tuo de vertice cessi.

Quem versum ad exemplar Callimachi compositum esse constat.

Hor. Epist. II, 2, 195 sq. (et saepius): an neque sumptum invitus facias —.

Verg. Aen. X, 233: rupimus invitae tua vincula. (cf. Aen. VI, 460).

Ovid. Heroid. XVII (XVIII), 123 sq.: Invitus repeto patriam — — | Invitus certe nunc moror urbe mea.

laetus:

Plaut. Amphitr. II, 2, 44: Amphitruo uxorem solutat laetus speratam suam.

Ter. Hecyr. III, 3, 7—8 laetae exclamant.

Enn. satur. reliqu. IV, 6 (v. 26) V: Quippe sine cura laetus lautus cum advenis.

Hor. c. III, 8, 27 (et saepius) dona praesentis cape laetus horae.

Versus memorabilis, in quo adverbium cum adiectivo coniugatum est, exstat Catull. XXXI, 4:

Quam te libenter quamque laetus inviso.

Verg. Georg. I, 301: mutuaque inter se laeti convivia curant.

cf. Georg. III, 320; Aen. I, 554; II, 260; III, 347; IV, 295, saepius.

Tib. El. II, 4, 41: Qui tua tunc iuvenes spectent incendia laeti.

— IV, 6, 3 (Pseudotib. III, 5, 3 B.) tibi se laetissima compsit.

Ov. Heroid. XV, 253 sq.: Oscula si natae dederas, ego protinus illa
Hermiones tenero laetus ab ore tuli.

certus, tutus[1]:

Hor. c. I, 7, 28: Certus enim promisit Apollo,

quem versum Nauckius ex coniectura admodum incerta ad Protei epitheton Homericum spectare dicit δ' 349:

ἀλλὰ τὰ μέν μοι ἔειπε γέρων ἅλιος νημερτής.

Iam venio ad adiectiva in dus terminata, quae a me in hunc adiectivorum ut ita dicam participialium numerum referuntur: de quibus Corssenus haec praecipit (Krit. Beitr. p. 130):

---

1) Adiectivum tutus, quo antiquiores poëtae non esse usi videntur, apud poëtas classicos haud ita rarum est; cf. Hor. c. II, 10, 6 sq. (ubi de distinctione post adiectivum tutus ponenda vide Nauckium), c. IV, 5, 17; Verg. Aen. I, 243 sq.; Prop. El. III (II), 12, 11; Ov. Met. XV, 99 (ubi Heinsii lectionem „tutae“ probo); II, 149; Rem. am. 347.

„Diese Wörter drücken rein das Haften des in der Verbalwurzel liegenden Thätigkeits- oder Zustandsbegriffes aus. . . Dieselbe einfache Bedeutung haben auch die auf bu-n-do- gebildeten Verbaladiectiva — — — die Bopp zweifellos richtig als Gerundivformen von der Wurzel fu- erklärt hat.“

Atque in horum adiectivorum ratione perspicienda cernitur quantum studia grammatica aetate nostra profecerint, cum Julius Caesar Scaliger, vir acutissimus, adiectiva in undus terminata a maris excessu naturam nacta esse, quippe ab undis, doceret („de causis ling. Lat.“ lib. IV cap. 98). — De eadem explicatione illius terminationis tamquam a Gellio profecta („ut lactabundus is dicatur qui abunde laetus sit“) disseruit Laurentius Valla, Elegant. I, 9 sq.

Terminatione bundus igitur, quae apud poëtas classicos raro occurrit (cf. Verg. Ecl. VI, 57 sq.: errabundus, Georg. III, 488: moribundus), Plautus artificiose usus est, cum participiorum loco numerosiora illa adiectiva scriberet:

Pseudol. V, 1, 29 [quem versum ex Spengelii restitutione afferro]

sic [ego] palliolatim amictus hac incessi ludibundus.

Aulul. II, 4, 38. Homo ad praetorem plorabundus devenit.

Venio ad genera quaedam adiectivorum, quae ab aevi Augustei poëtis cum propter vim eximiam iis propriam tum propter terminationes versibus pangendis utilissimas cum verbis consociabantur. Quemadmodum adiectiva in bilis exeuntia, quae — ut ait Reisigius l. l. § 107 — propterea a poëtis saepe usurpata sunt, quia terminationes abile et ebile plenum efficiant dactylum. — Iam adiectiva, quae exeunt in osus, Scaligero (de causis ling. lat. lib. IV c. 98) habere originem videbantur a Graecis, ut vinosus, *οἰνώδης*. Laurentio Valla autem iudice (Elegant. I, 21) haec adiectiva „partim a nomine descendunt, partim a verbo, partim ab utroque. Et ea quidem, quae descendunt a nomine, habitionem sive vehementiam copiamve significant et affectionem“ sq. Cum hac sententia consentit Reisigii

de his adiectivis iudicium l. l. § 110: „Die Worte auf osus bezeichnen eine Fülle oder Stärke von Etwas.“

Terminationem ulus saepe deminutivam esse unusquisque cum Reisigio, Zumptio gramm. § 259 consentit: sed cum neque illud attineat ad quaestionem meam neque Meiringii doctrina (Lat. Gramm. § 348): „eine Neigung bezeichnet die Endung ulus, vorzugsweise eine solche, der man aus Schwäche nachgibt,“ ea tantum adiectiva in ulus exeuntia huc refero, quae Moiszisstzigius significat (Prakt. Schulgramm. § 279): „ulus hat die Bedeutung des Particip. Praes. act.“

De terminatione idus Zumptio assentior (l. l. § 249): „Die Endung idus, hauptsächlich von Verbis intransitivis, drückt ohne Nebenbedeutung die Eigenschaft des Verbi aus.“

Iam cum consilii mei rationem reddiderim, ad horum adiectivorum singula genera transeo.

Ac primum quidem adiectivis praedicativis in bilis terminatis poëtae elegantiores favent:

Verg. Aen. 438 sq.: sed nullis ille movetur
fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
— VII, 250 soloque immobilis haeret.
— XII, 3 ultro implacabilis ardet.
Tib. El. II, 4, 22: Ne iaceam clausam flebilis ante domum.
— IV, 1, 44 (Pseudotib. II, 44): instabilis natat alterno depressior orbe (scil. libra).

Adiectiva in osus exeuntia, quibus praedicatum amplificatur, cum in aliis tum in his recentiorum poëtarum versibus exstant:

Catull. L, 1 sq.: otiosi | multum lusimus.
Cic. Arat. 442 (Orelli 2. ed.): Labitur illa simul, natam lacrimosa requirens.
Hor. Epod. XVII, 77 ut ipse nosti curiosus.
— Serm. II, 5, 10 (sed me) | imperiosa trahit Proserpina. cf. Ov. Heroid. XIX (XX), 81.

Hor. Serm. II, 5, 48 leniter in spem | adrepe officiosus. cf. Ov. ex Ponto IV, 2, 6; 6, 7 sq.

Ovid. Heroid. II, 45: At laceras etiam puppes furiosa refeci.

Quem versum V. Loersius his verbis illustrat: „furiosa, furioso amore obcaecata."

Met. IX, 54: tergoque onerosus inhaesit.

Fast. VI, 507 sq.: Latias Saturnia bacchas instimulat fictis insidiosa sonis. cf. ex Pont. IV, 6, 8.

Adiectiva in ulus terminata ante aetatem Augusteam praedicative posita esse negaverim: itaque in excultioris illius aetatis versibus quibusdam enumerandis acquiesco, e quibus terminationis huius vis cernatur:

Hor. c. I, 38, 6: sedulus curo.

— Epist. I, 13, 4 sq.: ne studio nostri pecces odiumque libellis | sedulus importes opera vehemente minister.

Orellius sano iudicio usus structuram horum verborum hanc esse dixit: „ne sedulus importes odium libellis minister opera vehemente."

Tib. El. II, 1, 50: Compleat ut dulci sedula melle favos. cf. I, 5, 71 sq., II, 4, 42. Prop. El. III (II) 18, 10; Ov. ars am. I, 154; Amores I, 11, 8; Heroid. XVII (XVIII), 22; Trist. III, 12, 33.

Hor. A. P. 188: Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Prop. El. I, 3, 28: Obstupui vanido credulus auspicio. cf. Tib. El. I, 9, 38.

Adiectiva in idus terminata posita videntur prout rationes cum aliae tum metricae exigebant et a veteribus et a classicis poëtis. Etenim adiectiva timidus, trepidus, rapidus, stolidus iam in antiquis fabulis ad praedicatum exornandum adhibentur.

Timidus:

Plaut. fab. incert. nom. [ex fragmentis a Pareo collectis — ed. 1641 p. 824 — „Donat. ad Ter. Eum. 4, 2 et Phorm. 2, 1"] nam et ex mari timida ecce ego pavitare.

Ter. Hecyra III; 3, 5: Nam modo intro me ut corripui timidus.

Idem adiectivum apud posteriores divulgatum est:

Prop. El. I, 18, 25 sq.: omnia consuevi timidus perferre superbae
iussa —.

Ov. Met. X, 65 sq.: tria qui timidus, medio portante catenas,
colla canis vidit.

Hunc versum iam olim multum tentatum esse docent variae lectiones, quae exstant in libris mss. Hamburg. II teste Heinsio praebet „timidas“: quod sensu cassum est. In prim. Reg. legitur „tumidi“, i. e. irati, quod quamvis probatum Jahnio tamen alienum mihi videtur ab hac sententia. Angues enim irati, non canes tumidi vocari solent. Heinsius denique pro timidus coniecit Stygii (canis): a qua coniectura ut nimis arguta abstinendum esse censeo.

Trepidus:

Ex incertis incertorum fabulis-trag. XXXII, 63 Rib.

Ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam.

Verg., Georg. IV, 73:

Tum trepidae inter se coeunt, — cf. Aen. III, 616, 666, al.

Prop. El. V (IV), 1, 43: Cum pater in gnati trepidus cervice pependit.

Ov. Met. II, 194: Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.

Rapidus, stolidus:

Plaut. Menaechm. Prol. 63 sq.: Nam rus ut ibat forte ut multum pluverat,
ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule,
rapidus raptori pueri is subduxit pedes.

Bergkius in adiectivo rapidus absolute posito ita offendit, ut scribendum proponeret: „rapidus raptori fluvius“: — Bacch. III, 6, 19: Atque i se quom frustrant, frustrari alios stolidi existimant.

Lucretius adiectivis languidus, pavidus pro participiis languens, pavens utitur:

— V, 649 sq. (651 sq. Lachm.): Aut ubi de longo cursu sol ultima caeli
impulit atque suos efflavit languidus ignes.

— V, 1227 sq. (1229 L.): non divom pacem votis adit ac prece quaesit
ventorum pavidus paces animasque secundas.

Lucretii vestigia premere videtur Vergilius:

Aen. II, 489: tum pavidae tectis matres ingentibus errant.

Hor. Serm. II, 6, 113: currere per totum pavidi conclave.

Similiter adiectivum impavidus apud Ovidium legitur Heroid. VI, 96:

Impavidus somno nocte silente frui.

Ex carminibus poëtarum aevi Augustei praeterea commemoranda videntur adiectiva invidus, lividus, avidus, placidus, cupidus, turbidus, fervidus, horridus, evanidus, callidus etc.

Hor. c. III, 19, 22: audiat invidus | dementem strepitum Lycus.

cf. c. III, 24, 32.

— Epist. II, 1, 89: nos nostraque lividus odit.

Verg. Aen. III, 132: ergo avidus muros optatae molior urbis. (cf. Aen. VI, 210; I, 514).

— IV, 578 adsis o placidusque iuves.

— VIII, 165: Accessi et cupidus Phenei sub moenia duxi.

— X, 648: animo spem turbidus hausit inanem.

cf. X, 763. XI, 742. 814.

— X, 788: trepidanti fervidus instat.

Ovid. amores II, 16, 19: si premerem ventosas horridus Alpes.

cf. Met. I, 514.

— Rem. am. 653. Fallat, et in tenues evanidus exeat auras.

— art. am. II, 261 sq.: Nec dominam iubeo pretioso munere dones: | Parva, sed e parvis callidus apta dato.

cf. Amores I, 2, 6. Met. XIII, 323. Fast. I, 268.

3. DE ADIECTIVIS PRAEDICATIVIS, QUAE CERTIS FINIBUS NON CONTINENTUR.

Nova adiectivorum praedicativorum copia, qua utebantur aevi Augustei poëtae in moribus hominum describendis, ex Ennio et Lucretio provenisse videtur: quamquam de Ennii annalibus, quorum pauca supersunt fragmenta, incertum est iudicium. Sed documento sunt hi versus: VII, 10 (248 sq. V.):

„Ingenium cui nulla malum sententia suadet | ut facinus faceret levis aut malus, doctus fidelis | suavis homo facundus, suo contentus beatus | scitus secunda loquens in tempore, commodus verbum | paucum.

Cum his versibus primum comparari possunt Vergilii verba quae exstant Aen. I, 352:

Multa malus simulans.

Praeterea adiectivum commodus, quo usus est Ennius, dignum videtur quod a nobis notetur, cum in eo usus Plautinus ab Horatii et Ovidii consuetudine multum distet:

Plaut. Mil. III, 1, 49: Incommoditate abstinere me apud
apud convivas commodo
commemini.

Ab hoc usu recedunt Horatius, Ovidius:

Hor. c. IV, 8, 1: Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus, —

Quaeritur, utrum verba „meis sodalibus" ad donarem an ad commodus referenda sint. Illud praetulerunt Lambinus, Orellius, alii, huic interpretationi patrocinatus est Mitscherlichius, qui versum Platonicum dictum de Pindaro comparat: *ἄρμενος ἦν ξείνοισιν ἀνὴρ ὅδε. . .*

Usum adiectivi commodus ab aniiquissima aetate repetenti mihi non dubium videtur, quin Mitscherlichii studia Graeca alioquin laudabilia huic loco non conveniant.

Deinde ad hunc scribendi modum illustrandum utilis videtur versus qui est Horat. Epist. II, 2, 195:

distat enim, spargas tua prodigus.

Accedunt ex Ovidii carminibus haec: Am. II, 15, 16 —
Et digitum iusto commodus orbe teras.

Am. I, 9, 10: Strenuus exempto fine sequetur amans.
Heroid. IX, 67 sq.: Diomedis imago,
efferus humana qui dape pavit equos.
— XII, 193: pro quo tot res insana reliqui.
— XIII, 42: haec belli tempora tristis agam.
— XIV, 124: Quaeque tibi tribui munera, dignus habes.
Met. VI, 698: supposuique ferox imis mea terga cavernis.
— VIII, 128 sq.: Sed tamen ex illis aliquis, quos impia laesi,
me perimat —
Trist. I, 2, 103 sq.: proque | Caesare tura pius Caesaribusque dedi.

Sic recte constitutus mihi videtur ab editoribus hic versus ad auctoritatem quorundam librorum, cum alii diis, alii piis exhiberent.

Ex Grat. Cyneg. denique duas sententias illis subiungo:
v. 184 sq.: sicut Acarnanes subierunt proelia furto, | sic canis illa suos taciturna supervenit hostis.
— 413 sq.: Quodsi dat spatium clemens — morbus.

Apud Lucretium cum alia adiectiva praedicativa, tum ea, quae a ma infra exponentur, inveni: quorum numerum augere non opus est. In liberiore enim dicendi ratione cardo versatur huius consuetudinis: — ubi primum via ad novandi licentiam munita est luculentissimis exemplis, iam ad multa adiectiva idem usus translatus est. Quam ob rem iterum atque iterum ad Lucretii carmina tanquam ad fontem adiectivi praedicativi revertor.

Lucret. nat. rer. II, 624 sq.: ergo cum primum magnas invecta per urbis
munificat tacita mortalis muta salute.
— III, 957 sq. (959 Lachm.): et necopinanti mors ad caput adstitit ante
quam satur ac plenus possis discedere rerum.
— IV, 943 sq. (946 sq. L.): pars etiam distracta per artus non queat esse
coniuncta inter se neque motu mutua fungi.

Lucret. nat. rer. IV, 1228 sq. (1236 L.): multo sanguine
maesti | conspergunt aras.

Post aevum Augusteum qui exstiterunt poëtae Latini pauca admodum in adiectivi praedicativi ratione novasse videntur, quemadmodum adiectivo alternus adverbii munus tribuerunt Persius, Statius:[1]

Pers. Sat. V, 155 sq.: subeas alternus oportet
ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.

Stat. Theb. XI, 42 sq.: ceu redeunt nubes, ceu circum
flantibus Austris
alternus procumbit ager —:

in quo versu a Bernartio defendendo — cum is contra librorum auctoritatem alternis scriberet — Gronovius complura exempla congessit, quibus cum lectionis integritas probatur tum universae constructionis imago oculis proponitur.

1) Quamquam ad hanc licentiam iam Manilius aspirat: Astronom. V, 424:
nunc alterna ferens in lentos bracchia tactus.

ADDENDA.

Ad exempla in adnotatione p. 7 enumerata accederet versus Plaut. Bacch. 622 Ussg. (IV, 3, 10—11 Ritschl.), si vere Plautinus esset:

Qui patri reddidi omne aurum amens.

Haec verba trimetrum Creticum efficere contendit Ussingius, quasi nesciret, vocis ab Hermanno restitutae amens vocalem a longam, traditae vocis amans priorem syllabam brevem esse: ergo ille Molossum pro Cretico habet. Quare persistendum videtur in versibus a Ritschelio constitutis, a Fleckeisenio comprobatis, quos ita accipio, ut verba metri causa in hunc versum illata tamquam incerta uncis includantur:

Qui patri reddidi quod fuit prae manu.
[Credibile hoc quoipiamst?] Sumne ego amens homo?

ALBERTUS PICK DE VITA SUA.

Natus sum Landsbergae ad Wartham sitae Id. Mai. anni LII h. s. patre Naumanno, quem superstitem gaudeo, matre Minna e gente Montag, quam ante hos duodecim annos morte mihi ereptam lugeo. Fidei addictus sum iudaicae. Litterarum elementis superatis gymnasium Landsbergense adii, quod tunc sub Tzschirneri faustis auspiciis recens conditum etiam nunc floret regente F. H. Kaempf, viro doctissimo. Ibi cum in studia laetissima per octo fere annos incubuissem iamque haud multum abesset, ut in primam classem ascenderem, valetudinis infirmitate a spe animi uberius excolendi deiectus sum. Itaque seposito litterarum studio per septuennium operam dedi, ut et rationibus, quae spectant ad librorum mercaturam, imbuerer, et patronis spectabilibus in negotiis gerendis praesto essem. Iam corporis viribus in singulos annos augescentibus, cum resurgeret in animo meo pristinus ille litterarum amor, quem nunquam penitus exstinctum fuisse confiteor, huic indulgere institui. Itaque inde a vere anni LXXIV Berolini studiis privatis deditus fui, dum per benevolentiam et humanitatem Friderici Hofmann, viri illustrissimi a consiliis scholasticis eiusque gubernacula tenentis gymnasii Leucophaei Berolinensis, discipulis primae classis ascriptus sum. Deinde anni spatio interiecto maturitatis testimonium adeptus autumnali tempore anni LXXVI Lipsiam me contuli ibique per sex menses auditor fui lectionum philologicarum historicarumque, quas habuerunt viri docti G. Curtius, Eckstein, Fritzsche, Hildebrand, Hirzel, Lange, Voigt. Idem sodalis

fui et proseminarii philologici, cuius exercitationes Lipsius professor moderabatur, et societatis Graecae, cui A. Th. H. Fritzsche praefuit. Exinde Berolinum transmigravi, ubi per bis sex menses scholas frequentavi professorum J. G. Droysen, H. Droysen, Kirchhoff, Robert, Vahlen, Zeller. Liberalitate autem professorum Huebner, Bresslau, Robert aditus mihi patebat ad exercitationes philologicas, historicas, archaeologicas ab iis iuventuti propositas. Per has ter sex menses denique inde a vere anni LXXVIII universitatis Fridericianae Halensis et fui civis et civitate ad absolvenda studia ita usus sum, ut professorum Cramer, Dittenberger, Duemmler, Gering, Haym, Hiller, Keil, Zacher lectiones audirem. Praeterea per bis sex menses seminarii philologici regii, cui praesunt Keil, Hiller, Dittenberger, sodalis fui ordinarius. Item Keil benigne permisit, ut societati philologicae, Zacher ut societati theodiscae interessem. Quibus viris optime de me meritis, imprimis professoribus Halensibus, omnium maxime autem Henrico Keil, viro illustrissimo, dum spirabo gratiam habebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Aristoxeni Tarentini liber, quem Westphalius Athenaeum secutus dixit *σύμμικτα συμποτικά*, nunquam fuit.

II.

Hymn. Hom. *εἰς Ἀπόλλ' Δήλ.* v. 58 sq. deleto versu 59 legendum propono:

κνίσση δέ τοι ἄψεται αἰεὶ
χειρὸς ἀπ' ἀλλοτρίης.

III.

Eurip. Iphig. Taur. v. 100 legendum videtur: *ὧδ' ἄδυτον ἔσιμεν;*

IV.

Plaut. Pseudol. IV, 6, 7 haec verba ~~tradita~~ retinenda esse censeo:

quas abs ted instipulatust Pseudolus.

V.

Manil. Astron. III, 3 sq. legendum propono:

Conor et in dignos deducere carmina cantus.